

IN PROPERTIUM QUAESTIONES GRAMMATICAE ET ORTHOGRAPHICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES


RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

AUCTOR

PAULUS HEYMANN

SAXO EX VICO HALSBRUECKE.



HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXIII.



Propertii elegiae cum et propter eximiam artem et propter haud exiguas interpretationis difficultates dignae sint quae summa cum diligentia tractentur, quamquam incipiente hoc saeculo ex philologorum Batavorum licentia et arbitrio a Lachmanno prosperrime in examen criticum vocatae sunt, nec pauci usque ad hanc aetatem fuerunt, qui et studium a summo critico viro incohatum pro suae quisque aetatis subsidiis amplificarent et in carminibus ad rectam interpretationis viam ducendis summum ingenium ac studium converterent, tamen adhuc haud pauca in hac re desiderantur. Ac maxime quidem miror, quod nemodum exstitit, qui de Propertii rebus orthographicis aliisque quae ad formas flexionesque vocabulorum spectant, diligentiore cura inquireret. Hertzbergius enim in „Quaestt. Propertianis" edit. vol. I etsi omnes in partes poetam nostrum arte syntactica, quae vocatur, doctissime patefacta explanare sibi proposuit nec non occasione data nonnullas de Propertii vocabula flectendi ratione quaestiones instituit, tamen in universum supervacaneum ei visum est, formas grammaticas ea diligentia singulas investigare et componere, qua opus est ad totum Propertianum dicendi genus penitus cognoscendum. Ait enim l. l. cap. VI, pg. 162: „Nam quae restant, vel proprie vel audacius dicta, cum nihil ad illustrandum poetae ingenium faciant, et ab aliis vel saepe vel eadem licentia sint expetita, omisimus de industria. Idem valet de usu verborum singulorum grammatico etc." Quod utrum recte existimaverit necne non difficile est ad diiudicandum. Nulla enim re magis mihi quidem scriptor omnino intellegi videtur, quam dicendi consuetudine in omnes partes accurate explanata.

Itaque haud vereor, ne excusatione mihi opus sit, si in hoc opusculo ea proferam, quae de Propertianarum formarum grammaticarum et orthographicarum ratione maxime digna putavi, quae iusta collocatione sub uno quasi conspectu ponerentur[1]). Quamvis vero satis mihi persuasum esset nonnullas res in Propertianis elegiis occurrentes ceterorum quoque eiusdem aetatis poetarum proprias esse, non tamen omittendas existimavi; sed, cum spectent ad rem grammaticum et orthographicam quam diligentissima pro meis viribus cura explanavi, ut hac etiam dissertatione ad totum Propertii dicendi genus intellegendum subsidium quoddam adferretur[2]).

Jam vero de praesidiis criticis, quibus potissimum usus sim, eorumque de varia dignitate, praesertim cum ea de re viri docti etiamnunc inter se discrepent, quid mihi videatur, paucis exponam.

Ac primum quidem librum Groninganum (G), cui Lachmannus (praef. edit. a. 1816 pg. 9) et eum secuti Jacobus, Hertzbergius (quaestt. Prop. pgg. 233—235), Keilius maximam fere fidem tribunut, haud paucis Italorum interpolationibus infectam (cf. H. Keil., observatt. criticae in

[1]) Qua in re probavi Curtii commendationem „Die Bildung der Tempora und Modi etc.," pg. 1: Die Aufgabe des Grammatikers gleicht zunächst der des Statistikers etc.

[2]) Easdem rationes probavit Frahnert „Zum Sprachgebrauch des Properz" Halle 1874, qua in commentatione omnia, quae in elegiis occurrunt, supina, gerundia, gerundiva, participia, diligentissime collecta sunt, pg. 1: Denn nicht blos das Ungewöhnliche, was uns in der Diction eines Schriftstellers entgegen tritt, sollte meiner Ansicht nach bei derlei Sammlungen Beachtung finden, sondern auch solche syntaktische Erscheinungen, die immer und immer wiederkehren, scheinen mir gleicher Berücksichtigung werth zu sein, damit je mehr und mehr zur Klarheit kommt, in welchem Umfange der Sprachschatz von den einzelnen Autoren überhaupt benutzt wurde, und wie lange dies und jenes brauchte, um gewissermassen Bürgerrecht zu erlangen, wobei sich zugleich zeigen wird, wie lange auch gewisse Formen und Wendungen sich behauptet haben, ehe sie von anderen verdrängt wurden.

Prop., Bonn. 1843, pg. 11 sq.) parvique tantum nulliusve [1]) pretii esse diligenter et docte exposuerunt M. Hauptius, emendationes nonnullorum Prop. locorum, Berol. ind. acad. 1854, pgg. 4—9; Opuscl. II, pgg. 52 sq.; Chr. Heimreich., quaestt. Prop., Bonn. 1863; Chr. Luetiohann., commentt. propert. Kiel. 1869, pg. 3 sqq. Deinde ne librum quidem mss. olim Neapolitanum (N), nunc Guelferbytanum (Gudian. 224), quem Lachmannus, Jacobus, Herzbergius, Keilius secundum locum, Luc Müllerus principatum inter omnes codices Propertianos obtinere et ipso ex archetypo profectum esse vult [2]), ut fere unicum textus constituendi editioni suae subsidium, normam tamquam ac regulam emendandi sequendam esse putaret, interpolatorum licentia prorsus vacare, loci aperte indicant sane paucissimi: 2, 1, 31; 3, 15, 49; 4, 13, 35.

Cuius quidem codicis praeter ceteros omnes singularem et potissimam fidem ante hos tres annos Baehrensius (edit. Prop. Lips. a. 1880, prolegg. pgg. 7—9) evertere conatus ex magna codicum multitudine quattuor libris tanquam fidissimis honorem tandem reddendum existimavit, qua Propertii elegias denuo recenseret:

A) cod. Vossiano, saecl. XIV usque ad II, 1, 63 pertin.;
F) cod. Laurent., saecl. XV initio scripto;
V) cod. Ottoboniano-Vaticano, saecl. XIV exeuntis;
D) cod. bibliothecae publ. urbis Neerlandicae Daventriae, in Italia intra a. fere 1410—20 scripto.

[1]) Quod contra vide Luc. Mülleri iudicium, praef. ad Prop. pg. VI, cui cum cura pensitatis quotquot huc spectant locis assentiri mihi visus sum: „Mihi ut meam iam sententiam aperiam, videtur G haud dissimilis codicis Catulli Datani, in quo quasdam egregiae fidei lectiones invenias, alias cum audacia interpolatas, ut tamen ille codex longe saepius sit immutatus Italorum arbitrio quam hic. Etiam hoc commune utrique libro, quod emendatores quicunque fuerunt cum haud pauca et ex parte sanissima temptassent, vix tamen rarius ineptissima quaeque mirifica tulere indulgentia.

[2]) Cf. praef. ad Prop. pg. X: Est certe omnium, qui iam extant, longe optimus, id quod nobis apparuit denuo instituta collatione; et paullo infra: Descriptum esse librum ex ipso archetypo mihi quidem videtur haud improbabile.

Quorum de fide ad sinceram poetae lectionem constituendam quae mea sit sententia iam breviter exponi licet.

Cum graviter corrupti sint illi codices A F V D additamentis noviciis haud paucis quidquid novarum lectionum Baehrensius ex suis libris mss. affert, id interpolationis speciem concedas saepissime prae se ferre vel ortum esse e coniectandi studio nimis audaci. Quod quam optimo iure contra Baehrensii editionem sit propositum non est cur singulorum locorum testimoniis demonstremus, cum Frid. Leo, Mus. Rhen., tom. XXXV, pgg. 441 sqq. in commentatione, quae inscribitur „Vindiciae Propertianae" novissimi illius editoris erroribus patefactis libri Neapolitani unicam et meritam fidem virtutibus ipsius codicis cum lectionibus A F V D librorum mss. comparatis sagacissimo ingensio denuo comprobaverit [1]).

At mihi quidem, quamquam Luc. Müllero et Frid. Leone auctoribus librum Neapolitanum propter lectionis integritatem [2]) omnium dignissimum existimo, ex quo Propertii elegiarum recensio proficiscatur, tamen reliqui Baehrensii codices, quos Leo l. l. non sine irae et studii crimine omnino quicquam valere negat, cum sint eadem fere qua Neapolitanus aetate conscripti, in contextu ad pristinam archetypi orthographiam revocando nequaquam videntur plane contemnendi. Praebent enim hic illic, quod in verba

[1]) Cf. pg. 447: Demonstravimus, quod demonstrandum erat, codicem Neapolitanum et unum non interpolatum et librum esse multo reliquis lectionis integritate superiorem. illo igitur in posterum quoque, et unico quidem illo donec similis inventus sit, Properti carminum recensio nitetur. librarii errores arguere valebit e melioribus vulgaris notae libris quicunque eligetur. verum AFDV omnino nihil valent. — Cui fere assentitur Schenkl, Wiener Studien, tom. 3, „Eine Properzhandschrift," pg. 160. — Praeterea conferendum simile iudicium Rothsteinii de Baehrensiana Tibulli editione in dissertatione, quae inscribitur „De Tibulli codicibus," Berol. 1880, pg. 49: Multa enim ille tentavit quae iustam offensionis causam non praebent multa coniecit quae ne poterat quidem scribere poeta, earum autem eius emendationum quae tolerari possunt pleraeque tam incertae sunt, ut in criticae editionis textum recipi non debuerint.

[2]) Cf. Hetzel, Zur Erklärung des Propertius, Dillenburg 1876, pg. 2.

scriptoris adversus codicem N omnium certe virorum doctorum consensu sit recipiendum. Sed ea de re librorumque manu scriptorum allatorum natura et indole cum diligentia et cura videndum erit, ubi rem orthographicam tractabimus.

Ceteras Propertianas saecl. XV membranas, quarum lectiones adnotavit Hertzbergius, codicibus A F V D multo viliores excepta Groningana, cuius scripturas rarius adiunxi, in hac commentatione omnino neglegendas putavi.

In libris denique numerandis Lachmanni (cf. pgg. XXI—XXIII ed. 1816) divisio adoptanda mihi videbatur, quem primum notum est librum secundum discidisse in duos, ut carmina Propertiana quinque libros complexa commonstraret; priscum numerum quattuor librorum Hertzbergius et Baehrensius restituerunt.

Ceterum hanc rem non ita gravem, quae per se plane abhorret a quaestionibus nobis propositis, diligentissime tractaverunt Hertzbergius, Quaestt. Prop, pgg. 213—233 et Luc. Müllerus, Praef. in Prop., pgg. XI—XIII, qui eandem, quam Lachmannus, probat divisionem.

Restat ut, quale nos in his quaestionibus consilium secuturi simus, paucis indicetur. Primo igitur capite investigandum erit, quibus in universum rationibus Propertius se applicaverit et in peregrinis, imprimis graecis, et in patriis nominibus flectendis; altero, quas in verbi flexionibus normas observaverit; tertio, quam scribendi rationem pro nostrae aetatis subsidiis criticis passim adversus Müllerianam et Baehrensianam editiones maxime probemus. Qua in distributione sane fatendum, nonnulla quae in quaestionibus grammaticis tractata sunt, orthographicis non aliena eodem iure huic dissertationis parti adiungi potuisse. Quod vel maxime quadrat in accusativum et nominativum pluralis num. tertiae, quae vulgo dicitur, declinationis in — is exeuntem. —

I.

De declinatione.

A.

Ut ordiamur a substantivi et adiectivi declinatione primum nobis disserendum est de eorum vocabulorum formatione, quae Graeca e lingua petita frequentissima genuina et patria specie in Propertii elegiis occurrunt.

Quod vel maxime monendum est de femininorum nominum propr. primae, quae vulgo dicitur, declinationis nominativo et vocativo, quos casus legitima quasi ratione Graecorum more poeta in -e exire voluit.

Itaque reperiuntur eius generis exempla et codicibus et metri legibus firmata, qualia nominativorum:

Amymone 3, 26, 47; Andromede 1, 3, 4; 3, 28, 21; 5, 7, 63; andromedaeq. NVm. 2 andromadeq. F andromadaeq. DV; Antiope 4, 15, 22; Calliope 2, 1, 3; Cassiope 1, 17, 3; caliope Fm. 1 casiopae DV; Cymothoe 3, 26, 16; Danae 3, 32, 59; dane N, danne DV; Dirce 4, 15, 11; Euadne 1, 15, 21; 4, 13, 24; euhadne N; Europe 3, 28, 52; europae D; Helene 4, 14, 19, helena Fm. 2 helenae D Hypsipyle 1, 15, 18; 19; Jole 5, 5, 35; Jope 3, 28, 51; Ischomache 2, 2, 9; Lalage 5, 7, 45; Lampetie 4, 12, 30; Pasiphae 3, 28, 52; pasiphone DVm. 1; Penelope 2, 9, 3; 4, 13, 24;

codicum solo concentu firmata haec:

Amycle 5, 5, 35; Cybebe 4, 17, 35 L. M. cybelle DV Baehr. cybele F cibele N; 4, 22, 3 cybelle DV Baehr. cybille F cibile N Cybebe L. M.

vocativ.: et metri rationibus et libb. mss. testimoniis firmata: Cymothoe 3, 26, 16; Hippolyte 5, 3, 43; Leucothoe 3, 26, 10; Sparte 4, 14, 1 alia.

Nec minus in duobus nominibus propriis, quae Attico sermone nominativo sgl. ᾱ praebent eademque sola terminatione ab omnibus fere aureae aetatis scriptoribus in linguam Latinam recepta sunt, e litteram omnibus Propertianis codicibus exhibitam videmus: scil. Hypermestre 5, 7, 63; 67 ipermestre F, hypermestrae cet.; Parthenie 5, 7, 74. voc. Nesaee 3, 26, 16.

Cum minus offendamur nominativis: Electrā 3, 14, 5 et Creusă 3, 16, 30; 21, 12, rursus Ariadna 2, 3, 18; adriagna N, adriana DV, adriaña F; Ariadna 4, 17, 8; adriana F, adriagana N; voc.: Eriphyla 4, 13, 57 omn. codd.; 3, 16, 29 eriphyll(a)e DV; voc. Andromacha 3, 20, 2, formae ori Latino adaptatae [1]) codicum consensu et metro firmatae exstant.

Ut graeca vecalis η in nominum propr. nominativis et vocativis a Romanis frequentius in brevem a mutatur, cuius generis apud Propertium nullum exemplum repperi, ita producta quoque graeca α latino sermone interdum corripitur. Velut apud Propertium occurrit: Troiă 2, 3, 34; 2, 8, 10; 5, 1, 114.

In genetivis eiusdem generis nominum formandis Propertium etsi nullam certam normam secutum, tamen ut aureae aetatis optimos scriptores latinam terminationem graecae praeposuisse librorum mss. consensu satis confirmatur. Nam cum formarum in ae [2]) exeuntium exempla haec exstent:

[1]) Luc. Müller, de re metr. pgg. 387 sq.: Igitur cum vetustissimi auctores raro flexiones externigenas adsumpsissent — qui et illud valde amarunt, declinationem Graecam per metaplasmos adaptare ori Latino —, iam ab Attii inde et Lucilii tempore minus versibus ut subveniretur quam iactantia studiorum valde increbuerunt terminationes Graecae etc.

[2]) Adversus Hertzbergii auctoritatem, qui quaestt. Prop. II, pg. 164 proponit, nisi versus sonus postulet, ne nomina in vicem sibi respondentia inter se discrepent, ubique Graecis acquiescendum, cum L. Müllero et Baehrensio, ubi plurimis codicibus „e" certum stat, (cf. 4, 1, 1 sacra Philete NFDV) latina terminatio ae probanda est. Contra lerne 3, 26, 48 FN (et Lernae pulsa tridente palus Luc.

Antigonae 2, 8, 21; Andromachae 3, 22; 31 ; Andromedae 4, 22, 29; Antiopae 1, 4, 5; Circae 4, 12, 27; Corinnae 2, 3, 21; Helenae 4, 8, 32; Hermionae 1, 4, 6; Ledae 1, 30, 29, 30; Medeae 5, 5, 41; Niobae 4, 10, 8 (Niobe N F D V niobes V corr); Pagasae 1, 20, 17; Persephonae 3, 28, 48;: haec tantum quinque Graecorum more formata codicibus exhibentur, metri legibus postulata: Danaes 3, 20, 10; Helles 4, 22, 5; Lampeties 4, 12, 29; Penelopes 4, 12, 38; Tisiphones 4, 5, 40 [1]).

In dativo et ablatīvo Porpertius latinam semper graecanicae formae aperte praetulit, quamquam ablativum nominum primo casu in-es vel-e desinentium secundum plurimorum scriptorum consuetudinem e littera terminandum esse commendat Priscian. I, pg. 290 Cf. Neue², I, pg. 58. Dativos quidem eius generis nominum hos collegi:

Andromedae 4, 22, 29; Antiopae 4, 15, 49; Alcménae 3, 22, 25; Semelae 3, 28, 27,

ablativos: Andromacha 3, 20, 2; Helena 2, 1, 50; 3, 34, 88 (quamvis nomin. Helene 4, 14, 19); Semela 3, 30, 29.

A nominativo graeca ratione formato praeter formam Helenam 2, 3, 32 omn. codd. (contra nom. Helene 4, 14, 19) accusativum etiam a poeta ductum esse ex librorum mss. apertissimis vestigiis colligi licet. Velut reperiuntur in elegiis: Antiopen 4, 15, 12 anthiopem D; Dircen 4, 15, 38 dircem DV; Heben 1, 13, 23: Leucothoen 3, 28, 20; Meroen 5, 6, 78; Ossan 2, 1, 19; Penelopen 5, 5, 7 penelopē F; simil. accusativi a Luc. Müllero et Baehrensio in textum recepti Cf. Ribbeck., prolegg. Vergil. ind. gramm. pg. 403: Ex feminarum nominibus in e exeuntium accu-

Müll., Baehr.) nominativus mihi cum Lachmanno et Hertzbergio esse videtur eadem appositionis ratione explicandus, qua Baiae aquae 1, 11, 30, ubi Hertzbergius, quaestt. II, pg. 163, „Baiae" nomen adiectivum sane insolentius et a solo Propertio adhibitum perperam censet.

[1]) Vergilii et Horatii libb. mss. ubique formas in ae exeuntes praebent. Sed inde ab Ovidii temporibus graecam maxime terminationem communi scriptorum usu receptam esse docet Neue², I, pg. 60.

sativi perperam formati unum exemplum novi Euhadnem Py euadnē bc Aen. VI, 447.

Item nominum patronymicorum [1]) accusativus graeca ratione per-n formatus certus stare videtur. Metri quidem leges et codd. consensus tuentur locum hunc:

Ixioniden 2, 1, 38 Luc. Müller., Baehr. hyxioniden A exionidem (hix m 2) F

Librorum manu scriptorum sola auctoritate satis firmatae reperiuntur hae formae:

Aesoniden 1, 15, 17 Luc. Müller, Baehr. esoniden A exoniden F exonidem D esonidem V.

Alciden 5, 9, 38 Luc. M., Alcidem Baehr. alcidē N F V alcide D.

Menoetiaden 2, 1, 38 Luc. M., Baehr. meneciaden N A V meneaciden D F (huius mg. meneciadē).

Quare cum ceteris locis fere consentiant codices in scriptura per-n, Baehrensii inconstantiae nullo modo assentiendum est, qui etsi scripsit: Aesoniden, Ixioniden, Menoetiaden, tamen 5, 9,38 propter codicum scripturam: alcidē F V N[2]) alcide D in textu probavit: Alcidem:

Ille ego sum: Alcidem terra recepta vocat.

Morositatem potius pro tam recentis originis libris hanc novissimi editoris rationem appelles, quam ad fidem codicum recensendi diligentiam.

Nec minus in nominativis praeter Atrida 3, 14, 1 cons. codd. et metri legibus firmatum:

[1]) Cf. Luc. Müller., De re metrica, pg. 389.

[2]) De scriptura alcidē codicis N cf. Grumme, De codicibus Propertianis, Groningano et Neapolitano, Aurich, 1868, pg. 13: Cuius quidem formae accusativi singularis falso in m terminati unum exemplum etiam in libro Neapolitano inesse videtur. Exhibet enim 5, 9, 83 alcidē, ubi Groninganus habet alcidem. Sed quum compendium illud, qno in membranis N vocabulum scriptum est, literis m et n promiscuum sit quumque in eodem cod. omnibus reliquis locis, quibus accusativus sgl. nominis patronymici Graeci legitur, forma in n desinens inveniatur, librarium eum, qui primus scripserit alcidē significare voluisse alciden veridissimile non videtur esse. Rectissime quidem editores post Lachmannum omnes praeter Jacobum scripserunt Alciden.

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumphost,

ubique graeca forma codicum consensu exhibetur: Alcides 5, 9, 16; Amphitryoniades 5, 9, 1; Atrides 4, 7, 23; 5, 1, 112; Pelides 3, 22, 34 simil., quibus in locis omnibus latina terminatio propter metri leges ferri omnino non potest praeter 4, 7, 23:

Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides.

Denique hic afferendus est voc.: Oiliade 5, 1, 117.

Deinde codicibus tam recentis aetatis et Italae originis non tantam tribuendam censeo auctoritatem in scriptura accusativi nominum propr. nominativo in — as exeuntium, quantam visum est Baehrensio. Scripsit enim ne metri quidem legibus permotus sane secundum codices:

Aeneam 5, 1, 2 eneam F V eneā D N Aenean Lachm., Hertzbrg., Keil., Haupt., Luc. Müller.;

Boream 3, 26, 51;

Hylam 1, 20, 52 ilam F hylāN hylam DV, ylam A;

Philetam 3, 34, 31 philitam DV filitā F philitā N, ubi ceteri recentiores editores consentientes contra libros mss. fere ubique scripturam per-n probaverunt. Mihi quoque consideranti perpauca illius scripturae per-m in antiquissimis codicibus Vergil.[1]) exstare et reliquarum declinationum in nominibus propr. peregrinis accusativos, id quod paullo infra exponemus, passim graeca ratione formatos Propertianis libris mss. exhiberi, si quam commodissimum Propertianoque stilo simillimum textum restituere curamus, ubique cum L. Müllero vel adversus membranas N A F D V probandi videntur accusativi in-n desinentes.

Item accusativus singul. graecorum nominum, quae secundam, quam nuncupamus, declinationem sequuntur, a Propertio vulgo graeca flectendi ratione terminantur. Nam cum eiusdem generis haec exempla reperiantur et metro et codicibus firmata:

[1]) Cf. Ribbeck., Prolegg. Verg. ind. gramm. pg. 402: Accusativus nominum Graecorum in as exeuntium terminatur an (sequuntur perpanca controversa exempla).

beryllon 5, 7, 9 Luc. M., Baehr., berillon F D V beryllos N;

cinnamon 4, 13, 8 L. M., Baehr., cynamon N, cynnamon F;

coston 4, 13, 8 coni. Guyetus, Baehr., pastor N F D V, L. M.;

Horon 5, 1, 78 omnes codd.;

Patroclon 2, 8 b, 33 omnes codd.;

libris mss. solis fida haec:

Delon 5, 6, 27 omn. codd.; contra ap. Vergil.: Delum Aen IV 144. cf. Ribbeck, Prolegg. pg. 404.

Naxon 4, 17, 27 omn. codd. varon F, corr. mg. m. 2; nasci Baehr., (contra Naxum [1]) Vergil. Aen. III 125 cons. libb. mss.), singulare tantum exstat, quod latinae declinationis speciem prae se fert:

costum 5, 6, 5 omn. codd.

Quam formam metri legibus nullo modo firmatam, cum sit unicum ex nominibus allatis latinae declinationis exemplum, in coston emendandam esse proponimus.

Similiter praeter nominativum:

Cyzicus 4, 22, 1 cizzicus F N cirzicus V. (contra Priap. 75 13: Cyzicos; Ovid. Trist. 1, 10, 29, 30: Cyzicon.) leguntur consensu librorum manu scriptorum:

Tyros 4, 13, 7: Isthmos 4, 21, 22; 22, 2; voc. Ilion 4, 1, 31 ita tamen, ut graecae formae numero praevaleant.

Qua de inconstantia Büchelerus monet Mus. Rhen. XV, Coniectanea critt. pg. 436: Scriptores in terminandis Graecis nominibus flectendisque neque cum alio alius neque secum consentiunt et quo quisque propius aberat a vetustate, eo liberiora ac solutiora generare audebant.

Jam ut ad genetivum singularis tertiae declinatio nis veniamus, primum statuendum est, in nominibus

[1]) Praeterea reperiuntur apud Vergilium fere cons. libb. mss.: Dulichium Aen. III 271; Olearum Aen III 126; Parum Aen. III 126; Samum Aen. VII 208; Thapsum Aen. III 689 et Talon Aen. XII 513; Tityon Aen. VI 595.

propriis Graecae originis, quibus in-id stirps est, graecam terminationem Propertio vel maxime placuisse. Cuius quidem usus haec collegi exempla XV apud ceteros quoque haud rara:

Athamantidos 1, 20, 19; 4, 22, 5; Boebeidos, 2, 2, 11; Briseidos 3, 22, 29; Chloridos 5, 7, 72; Glaucidos 5, 3, 55; Jasidos 1, 1, 10; Jnachidos 1, 3, 20; Laidos 2, 6, 1; Nycteidos 1, 4, 5; Phasidos 1, 20, 18; Phorcidos 4, 22, 8; Phyllidos 5, 8, 57; Tantalidos 3, 31, 14; Thaidos 2, 6, 3.

Contra singularis eiusdem stirpis nominum genetivus omnium membranarum auctoritate firmatus exstat, qui latinam declinationem profitetur:

Isidis 5, 5, 34.

Caussam latinae declinationis quae observatur in nomine allato, inde repetimus, quod Romani antiquitus tantopere ad illius deae cultum inclinaverunt, ut quasi domesticum numen coleretur. Cf. Pauly, Real.-Encycl. IV, pgg 289 sqq., Preller², Roem. Mythol., pgg. 723 sqq.

Praeterea notandi sunt genetivi Myos 4, 9, 14 et Pallados 5, 4, 45. Contra tribus locis codicibus exhibetur; Palladis: 3, 28, 12; 30, 18; 4, 20, 7.

Ceterorum nominum in genetivis sgl. formandis cum Propertius nusquam a communi latinae linguae declinatione discedat, sed passim formae ceteris quoque usitatissimae reperiantur quales: Mentoris 4, 9, 13; Platonis 4, 21, 25; Theuthrantis 1, 11, 11; al.; supervacaneum videtur, omnes eas proferre. Cf. Kühner., Ausf. Grammat. der lat. Sprche. I, pg. 223 sq. —

Hic vero non alienum est commemorare genetivum nominum propr. graecorum in-es exeuntium per-i terminatum, velut:

Achilli 2, 9, 13 N achillei Gr. Achilli a Lachm., Hrtzb., Keil., Müll. in textum recept., achillis F D V Baehr.

Achilli 5, 11, 39 F D V Baehr., achillis Vm. 2 N Luc. Müll.

Quam formam satis constat a nominativo Achilleus ductam ex „ei" terminatione per contractionem in „i"

transiisse. Ac tales quidem genetivi apud omnes fere et elegantissimos sermonis florentis scriptores occurrunt, ut ne Cicero quidem Acad. 4, 34, 108 dubitaverit scribere gen.: Herculi, quamquam nominativus: Herculeus neque graecae neque latinae linguae consuetudine probatur. cf. Charis. I, 10 pg. 10; Priscian. VI, pg. 276, 1; Serv. ad Aen. VIII 383; — Neue[2], I, pg. 331. — Ribbeck., Prolegg. Verg. pgg. 130 sq., 176; 402. — Bücheler., Mus. Rhen. tom. XV, pgg. 435 sq.: Achilleus ne a Romanis quidem abhorrere clare Horatius ostendit quadrisyllabo Achillei genetivo usus in carminibus quem necesse est ad Achilleus nominativum revocari pariter atque Ulixei quadrisyllabum quod idem Horatius in carminibus compluriens dixit ad Ulixeus, tametsi hunc nominativum umquam pronuntiasse Romanos mihi nullo exemplo constat.

In nominum peregrinorum genetivo, quae nominativo in-eus terminantur, Propertium certa norma non adstrictum fuisse, exemplis, quae in elegiis occurrunt, facile colligitur. Nam cum latinae et eaedem per synizesin contractae formae deprehendantur hae:

Capanei 3, 34, 40; Persei 3. 28, 22; 30, 4; Phinei 4, 5, 41; Promethei 2, 1, 69;

graecae etiam declinationis duae exstant:

Nycteos 4, 15, 12; Pentheos 4, 17, 24, metri legibus postulatae.

Dativum eiusdem generis nominum per synizesin etiam contractum semper latine inflexit poëta velut; Enipeo 1, 13, 21; 4, 19, 13; Nereo 4, 7, 67; Prometheo 4, 5, 7. Cf. Ribbeck., Prolegg. Verg. pg. 131, ind. gr. pg. 402.

Vocativi eorundem vocabulorum, quem omnes poetae fere in eu terminaverunt, scriptores pedestris sermonis, quantum fieri potuit, devitaverunt, singulare apud Propertium occurrit exemplum: Lynceu 3, 34, 9. Cf. Ribbeck., Prolegg. Verg. ind. gr. pg. 402.

In accusativo denique graecam etiam terminationem poetae nostro vel maxime placuisse, si minus e quattuor his, quae omnino in elegiis leguntur, exemplis:

Nirea 4, 18, 27; Orphea 4, 1, 41; Penthea 4,

22, 34; Thesea 3, 14, 7 pro certo proponi licet: at profecto inde colligi potest, quod graecorum accusativorum singl. num. cuiusvis stirpis nominum propr. praeter ceteros casus summa frequentia in Propertii elegiis cernitur. Itaque cum occurrant non solum:

Briseida, 2, 8 b, 35; Colchida 3, 21, 11: Minoida 3, 24, 43; adiect. 5, 11, 21; Phyllida 3, 24, 44; Salmonida 1, 13, 21; sed etiam:

Pallada, 5, 9, 57;

Acronta 5, 10, 7; Oromedonta 4, 9, 48 Luc. Müller. oromodonta D V oromodunta N orodomonta F, Eurymedonta Huschkius, eum sec.: Baehr.; Thermodonta 5, 7, 71;

Atlanta, 4, 22, 7; Polydamanta 2, 1, 29;

Simoenta 2, 9, 12; 4, 1, 27;

Agamemnona 5, 6, 33; Amphiona 4, 15, 29; Androgeona 2, 1, 62; Babylona 4, 11, 21; Helicona 3, 10, 1; 4, 5, 19; Pythona 5, 6, 35;

Castora 1, 2, 15; Hectora 2, 8b, 38; 4, 1, 28;

Pana 4, 13, 45 [1]),

non absurdum est colligere, quoniam testimoniis compositis adparet poetae in hoc casu graece flectendi studium, graecum etiam accusativum in-in et-en desinentem ei probatum, terminationes vero im et em, quae codicum optimorum compluribus locis exhibentur, librariorum soli licentiae vel neglegentiae propter similitudinem litterarum NM aliquando esse tribuendas.

Legere igitur mihi placet vel adversus libros mss.:

Alexin 3, 34, 73 alexim F D V alexin N: Luc. M., Baehr.;

Anubin 4, 11, 41 Luc. M., Anubim Baehr.;

Daphnin 3, 34, 68 Luc. M., Baehr dapnin F daphnin V;

Ityn 4, 10, 10 Luc. M, itim N F D V Itym Baehr.;

Parin 4, 1, 30 Luc. M., parim F D V parī N Parim Baehr.;

[1]) Cf. Ellendt-Seyffert., Lat. Gr., 12. Aufl. § 55 a, pg. 27: „Das griechische α wird von Cicero nur beibehalten in aer, aether, Pan Salamis (aera, aethera, Pana, Salamina).

Parin 4, 13, 63 Luc., M, parum Fm. 1 Parim Baehr.;
Phasin 4. 22, 11 Luc. M. phasim N F D V Baehr.;
Tanain 3, 30, 2 N. Luc. M. tanaim V Baehr. tautam DF
Thyrsin 3, 34, 68 Luc. M., Baehr. thyrsin Vm. 2 tirsin DV tyrsin N tirsim F.;

cf. Ribbeck. de Verg. codd. prolegg. ind. gr. pg. 403: Accusativus nominum peregrinorum in is exeuntium terminatur aut im aut in (cf. gramm. Vindob. p. 134 E).

Achillen 2, 9, 9 Luc. Müll., Achillem Baehr. achillē F N (unde Achillen nonnulli sine causa (!?): adnot. Baehr.);
„ 4, 18, 27 Luc. Müll., Achillem Baehr.;
Euphraten 4, 11, 25 euphratē N eufratem F D V Euphratem Luc. M., Baehr.;
Oresten 3, 14, 5 N Luc. M., horestem DF horestē V Orestem Baehr.;
Praxitelen 4, 9, 16 N. Luc. M. — em DV praxitelon F Praxitelem Baehr.;
Ulixen 2, 9, 7 N Luc. M. Ulixem Baehr.;
„ 3, 26, 37 N „ „ „ „

cf. Ribbeck. de Verg. codd. l. l. pg. 402: Accusativus nominum Graecorum in es exeuntium terminatur en (sequuntur perpauca controversa exempla).

Vocativum porro singul., de quo nunc dicendum est, Propertius ubique in nominibus graeco e sermone petitis patriae declinationis ratione formavit. Velut in elegiis:

Icarioti 4, 13, 10; Memphi 4, 11, 34; Pari 2, 3, 37; Achille 5, 11, 40; Oiliade 5, 1, 117 (iam supra commem.); Lynceu 3, 34, 9 (iam supra commem.) leguntur vocativi omnium codicum lectionibus et metri legibus satis fidi.

Quare contra librorum mss. et Baehrensii auctoritatem iure restituendum puto vocativum etiam:

Theti 4, 7, 68 Keil., L. M., Thetis Fm. 2 N, pedis DF, Theti Itali, Thetis Baehr.

Et tu materno tacta dolore Theti.

Cuius quidem flexionis, quae inter Augustani saeculi

poetas frequentior exstat [1]), apud Plautum et Terentium nullum exemplum reperitur [2]), qui semper latinam terminationem a nominativo non diversam praeferebant.

Nec silentio praetereundus est in hac grammaticarum formarum collatione dativus pluralis num. eiusdem declinationis ad graeci sermonis analogiam in-sin terminatus, quem pedestri sermone Varronem primum adoptasse testantur Nonius Marcellus pg. 374 et Charisius pg. 37.

Cuius formationis, quae inter aureae aetatis poetas apud Catullum etiam et Ovidium nonnumquam sed rarius occurrit, apud nostrum poetam e codicum sane turpiter perturbatis scripturis haec tria cognosci licet exempla.

Hamadryasin 1, 20, 32 Lachm., Keil., Haupt., Luc. Müll., amadrias A F N hamadrias D V, Enydriasin Baehr.:

Adryasin 1, 20, 12 K., H., L. M., adriacis N A F D V; Hydriasin Lachm., Baehr.;

Thyniasin 1, 20, 34 Keil., Haupt., Luc. M., Baehr., thiniasin N V, thiniasim A thimasim D.

De accusativo plur. num. tertiae, quae vocatur, declinationis ut nunc disputemus, res est notissima, hunc casum non modo a poetis Romanorum, sed etiam a scriptoribus pedestris orationis frequentissime Graecorum more in-as terminatum esse, ut longum sit exemplis id comprobare. Hic sufficiat Propertii talium formarum frequentiam persequi, quarum in elegiis sex mihi occurrebant exempla haec et metri legibus postulata et consensu codicum firmata:

ephemeridas 4, 23, 10; Hamadryadas 3, 34, 76; heroidas 3, 28, 29; Iliadas 2, 1, 14; Titanas 2, 1, 19; Tyndaridas 1, 17, 18.

Huc denique referendus est nominativus plural., qui, quantum versuum ex mensura efficitur, hisce in nominibus a poeta ex graeco sermone in latinum receptus est:

Erinyĕs 3, 20, 29; Nereidĕs 3, 26, 15; Pauĕs 4, 17, 34.

[1]) Aliorum exempla collegit Neue², I, pgg. 292 sq.

[2]) Cf. Charis. 1, 17, pg. 111.

Restat in enumerandis graecis casibus, ut accedamus ad nomina fem. gen. primo casu in-o exeuntia. Quorum vocabulorum etsi genetivus pervulgata linguae latinae consuetudine secundum graecae declinationis rationem in-us formatur, Propertianis tamen optimis libb. mss. par nominativo exhibetur:

ratis Argo dux[1]) 3, 26, 39 Argo NFDV ergo Fm. l.

Mihi quidem cum Lachmanno, Jacobo, Hertzbergio, Keilio, Hauptio, L. Müllero, Baehrensio adversus codicum consentientium scripturam genetivi forma: Argus in textu probanda videtur, quam commendatam videmus a Charis. pg. 64.

Nec minus in accusativo eiusdem substantivi nominis optimarum membranarum omnium apertissimis scripturis insolentior forma aeolici sermonis declinatione in-on cadens exstat:

Argon 1, 20, 17 NAFDV Luc. Müll., Baehr., Argo accusativus sane usitatior adversus codd: Lachm., Hertzbrg. Keil., Haupt.

Aliorum similia exempla collegit Neue², I. pgg. 314 sq.: Argon Ovid. Her. 6, 65; 12, 9; Didon Her. 7, 7, 131; Heron, Am. 2, 61, 31; Jon, Am. 2, 19, 29.

Ablativus eiusdem generis nominum, quem poetae in universum et pedestris sermonis scriptores devitaverunt, semel apud nostrum poetam occurrit:

Jo 3, 30, 29, item vocativus: Jo 3, 33, 7.

B.

Quaestionibus de graecorum casuum frequentia ad finem perductis, quid de Propertii latina declinatione monendum sit, iam videamus.

Huc primo loco afferri liceat genetivum singul. num. nominum in-ius vel-ium nominativo exeuntium, quem constat,

[1]) Cf. Hygin. fab. 14: gubernator navis Argo; fabricator navis Argo.

prisca linguae consuetudine vulgo in-i ex-ii contractum eademque specie poetis aureae aetatis Vergilio et Horatio maxime familiarem, a Propertio primo et Ovidio vetere more neglecto pleniore interdum terminatione perhibitum esse [1]).

Reperiuntur enim in Propertianis elegiis genetiv. formae codicum et metri auctoritate firmatae scil.:

Fabĭī 4, 3, 9; 4, 3, 22; gymnăsĭī 4, 14, 2; imperii 1, 6, 34; 4, 1, 16; ingenii 4, 3, 22; Lanuvii 5, 8, 48; Mercurii 3, 30, 6; opprobrii 4, 13, 12; Tarquinii 4, 11, 47.

Praeterea occurrunt non solum:

Antōnī 4, 9, 56; Pēlūsī 4, 9, 55; Properti 3, 34, 93, sed etiam:

Dĕcī 5, 1, 45; Mărī 2, 1, 24; 4, 11, 56; Tătī 5, 2, 52; 4, 26; 34, quorum nominum, cum sint in primo casu tribus syllabis brevibus, singul. genetivus apud ceteros omnes eiusdem aetatis scriptores ii terminatione usurpatur cf. Neue[2], I, pg. 91.

Nec minus adiectivi nominis genetivus singul., qui secundum omnium temporum dicendi consuetudinem ubique pleniore forma exhibetur, apud Propertium in-i pro-ii desinens exstat hic:

Feretri 5, 10, 1; 45; 48. Cf. Lachmann. ad Lucret. V, 1006.

De genetivo pluralis secundae et tertiae declinationis, ut simul agamus, breviorum formarum exempla in-um pro in-orum cadentium qualia: deum 4, 5, 39; divum 5, 2, 55; Graium 2, 6, 19; socium 4, 7, 41 apud alios quoque frequentissime leguntur. Hic vero praeter cetera mihi commemorandum videtur in adiectivis et potissimum in participiis praes. act. haud ita saepe a poetis terminationem: um

[1]) Bentley. ad Terent. Andr. II, 1, 20: Sub Augusti senescentis demum aetate mutatio genetivorum, qualis hodie est, facta est. — Cf. Nigid. Fig. ap. Gellium XIII 26. — Schneider., Ausf. Gr. d. lat. Sprache, II, pgg. 59 sq. — Reisig., Vorlsgn. über lat. Sprachwsssenschaft, herausg. v. Haase, pg. 74. —

adhiberi, ubi vulgo ium postulatur. Cuius generis apud Propertium has formas deprehendimus notandas: agrestum 4, 13, 25; amantum 4, 16, 27 Charis p. 122, 8: amans amantium ... amantum Caecilius, ut etiam Plinius notat, „quantum amantum in Attica est". luctantum 4, 22, 9; silentum 4, 12, 33. Cf. Serv. ad Aen. II 880. Ceterorum exempla similia collegit Neue[2], II, pg. 83. —

Pergit commentatio ad accusativum pluralis num. eiusdem declinationis, cuius in terminatione certa constituenda satis constat, quantum ipsi veteres grammatici titubaverint, utrum per is rectius an per es exhibeatur. Cf. Varro, L. L. 8, 37, 66; 38, 67. Pricisan. 7, 17, 83—86 pgg. 357—362[1]). Quam dubitationem inde repeti licet, quod vel maxime apud poetas aurei aevi optimorum codd. auctoritate probatur (cf. Gell. XIII, 20), quamvis inde ab Augusti temporibus vetustior terminatio: is (ex eis orta) magis magisque in es transiret[2]), ut incipiente primo post Chr. saeculo vel unum locum obtineret, priscum tamen scribendi morem longe praevaluisse ita quidem, ut recentius simul scribendi genus eisdem auctoribus usitatum esset[3]). Itaque cum ne singulos quidem ipsos scriptores certam scribendi normam secutos esse constet, non est, cur miremur intellegentes quanta inconstantia quantaque licentia usque ad hunc diem editores versati sint in casu illo scribendo.

[1]) Ribbeck, Prolegg. Verg., pg. 137: Nec Priscianus VII, 83 sqq. constantem de accusativi pluralis in is aut es terminatione normam constituere ausus utra in quoque vocabulo „frequenter" vel „raro" usurpetur enotare satis habuit.

[2]) Cf. Zumpt, Lat. Gr. pgg. 64 sq. — O. Keller, Mus. Rhen., tom. XXI, „Der Accusativ auf is der dritten Declination bei den augusteischen Dichtern," pgg. 241 sq., qua tamen in dissertatione poetarum eleg. Catulli, Tibulli, Propertii usus desideratur.

[3]) Quae scribendi fluctuatio quam late in Verg. optimis et vetustissimis codicibus pateat, diligentissime exemplis allatis exposuerunt Wagner, Orthogr. Verg., Vol. V, pgg. 382—404; Ribbeck., Prolegg. Verg. ind. gramm, pagg. 405—413. — De Catullian. codicum utriusque scripturae frequentia disseruit Reeck., De C. carminum re grammatica et metrica, Breslau 1872, pg. 22 sq.

Sed cum hoc certe plurimorum consensu nitatur, librarios multo facilius in recentiorem et suae aetati usitatiorem scribendi consuetudinem inclinasse[1]), quam nescio qua vetustatis recordatione traditas archetypo recentiores scripturas in vetustiores mutasse, summa cum diligentia et quasi reverentia quadam, ne memoria illius consuetudinis omnis aboleatur, nobis conservandae sunt, quas veteris pronuntiandi et scribendi usus etiamnunc in libris mss. cognoscimus, inconstantiae potius crimen subeuntibus quam codicum neglegentiae[2]).

Itaque in his quaestionibus grammaticis certe operae pretium est, probata Lachmanni praef. ad Prop. ed. Lips. pg. V et ad Lucret. I, 805 ratione, optimorum librorum mss., ubi maxime inter se consentiunt ubique praesto sunt inscripitionum et grammaticorum testimonia, soli auctoritati fidem tribuendam esse, singula accusativi plur. in-is term. exempla omnia componere, qualia Propertianis optimis codicibus, quotquot nunc exstant, exhibentur haec:

1) Adiectivorum:

agrestis 3, 19, 14 NDV Keil., Haupt., Baehr. agrestes F; Luc. Müller.

docilis 5, 2, 63 Keil., Haupt., Baehr., dociles Luc. Müller.


[1]) Idem visum est Jacobo, Praef. ad Prop., pg. X: De accusativo autem in is, quamquam plerisque locis eum codices nostri in es formatum exhibent, atque ego quidem ita eos scribentes fideliter sum secutus, vix tamen esse dubitandum moneo, quin has formas in es, si non ubique, at plerumque debeamus librariis ipsis, quum ubicunque aut casuum error intererat, aut, si qua definxerat voces aberratio, forma illa male oblitterata se nobis ostendat, Cf. Grumme, l. l., pg. 13. Nec aliter sentit Keller, l. l., pg. 246: In den uns jetzt zu Gebote stehenden Codices vollends ist nichts gewöhnlicher, als die Correctur eines früheren Accusativus auf -- is in die Form mit e etc. —

[2]) Easdem rationes in editione ab Jacobo probatas esse adparet ex praef. ad Prop. pg. X: Qua propter quantum id quidem fieri poterat, et quantum et rei et librorum ratio patiebatur, inconstans cum antiquis esse malui, quam vel errare vel novare cum nostris.

facilis 2, 1, 10 NFA; Haupt., Baehr. faciles DV; Keil., L. Müller.
„ 3, 34, 76 Keil., Haupt., Baehr., faciles L. M.
infamis 1, 16, 9 Keil., Haupt., Baehr., infames L. Müll.
levis 2, 1, 49 FDV; Haupt., Baehr., leves NA L. Müll.
omnis 1, 4, 21 DV; Haupt., Baehr., omnes NA L. M. onīs F
„ 1, 13, 25 DV; Haupt., Baehr. omnes NAF Luc. Müller.
„ 2, 1, 57 DV; Haupt., Baehr. omnes NAF Luc. Müller.
„ 3, 28, 29 NFDV; Keil., Haupt., Baehr., omnes Luc. Müller.
„ 3, 28, 56 N; Keil., Haupt., Baehr; omnes DV; L. M, onīs F
qualis 1, 3, 40 F, quales cet. Keil., Haupt., L. M., Baehr.
„ 2, 7, 11 Keil., H., Baehr.; quales Luc. M.
sollemnis 5, 1, 16 K., H., B., sollempnis N solemnis (alt. l. m. 1 supra lin.) V sollenis D solemus F (mg. m. 2 ut solemnis) sollemnes Luc. M.
tristis 1, 9, 13 Keil., Haupt., Baehr., tristes L. M.
velocis 4, 14, 5 Keil., Haupt., Baehr., velodis Fm. 1 veloci-iactu Scaliger, veloces L. M.

2) Participiorum:

absentis 3, 33, 43 F; K., H., B. absentes NDV Luc. Müll.
arentis 3, 15, 51 DV Baehr.; arentes NF; K., H., L. M.
dantis 5, 5, 47 Baehrensius iure restituit in textu ex inscriptione Pompeiana (C. J. L. IV. n. 1894; dantes NFDV, Keil., Haupt., Luc. Müll.
euntis 5, 7, 23 Keil., Haupt., Luc. Müller., Baehr.
flagrantis 4, 11, 9 K., H., B., flagrantes L. M.
hiantis 4, 16, 17 K., Haupt., Baehr. iantis Fm. 1, hiantes L. M.
labentis 1, 10, 7 DV, Haupt., B., labentes NAF; Keil., L. M.
nigrantis 4, 12, 33 NDV, K., H., B., nigrantes F; L. Müll.



praesentis 3, 30, 12 K., H., Baehr; praesentes L. Müller.
pressantis 4, 17, 18, Keil., Haupt., B. p̄santis N, pressantes L. M.
recentis 1, 10, 17 K., H., B., recentes Luc. Müller.
spirantis 5, 7, 11 Keil., Haupt., B., Luc. M.
triumphantis 5, 3, 68 K., H., B. triumphantes L. Müll.
3) Substantivorum:
gentis 4, 5, 45 NF Haupt., Baehr., gentes DV, K., L. M. cf. Varro, L. L. 8, 67.

Ceterum conferenda de accusativo in-is, quae exposuit Brambach., Die Neugestaltung der lat. Orthographie in ihrem Verhältniss zur Schule, pgg. 149—158.

Nominativorum eodem modo terminatorum haec in Propertii elegiis deprehenduntur exempla:
artificis 3, 31, 8 NFDV Baehr., artifices Keil., Haupt., L. M.
incolumis 5, 9, 8 NFDV Baehr., incolumes Keil., Haupt., L. M.
minantis 5, 6, 49 NF, Keil., Baehr., numantis D (et V mg. m. 2) minantes (m et e ex corr.) V et Dmg. pro var. lect. minantes; L. M.
versantis 2, 1, 45 L. Müller sine codd. auctorit. versantes ceteri rec. editores.

De nominativo in-is cf. Lachm. ad Lucret. I, 805 pg. 56. — Brambach., l. l. pg. 158. — Vergil. codd. exempla collecta in Ribbeckii prolegg. Vergil. ind. gr. pg. 405.

Quare cum tantopere inter se consentiant longe plurimis locis libri manu scripti, Lachmanno, Jacobo, Keilio, Hauptio, Baehrensio auctoribus accusativos et nominativos, quorum modo exemplaria in lucem protulimus, in-is cadentes, sint licet in Italia et inferiore aetate conscripti omnes nostri codices, tamen in Propertiano contextu ad archetypi scripturam quam commodissime revocando retinendos esse existimamus. Nec vero assentiri possumus Luc. Müllero, qui, cum praemoneat in praef. ad Catullum pg. XIV: „Accusativi pluralis in is exeuntis exempla nisi quando aperte commendarentur sonorum lege non duxi

retinenda, ne turbarent potius intellectum, quam iuvarent etc.", easdem rationes etiam in Propertium recensendum perperam transtulisse videtur. Duobus enim locis probat scripturam accusativi per is:

exeuntis 5, 7, 23,
spirantis 5, 17, 11.

singulari loco eiusdem generis nominativi:

versantis 2, 1, 45 contra codices, quamvis haud paucis et apertissimis locis sui codicis N, quod dilucide adparet exemplis supra collatis, scribendi ratio per i commendetur.

Ceterum num scriptura per is, id quod viro doctissimo visum est, intellectus turbetur, in medio relinquimus. Profecto illa eadem probabilitate pro Catullianorum et Propertianorum codicum fere simili conditione recipienda est, qua Luc. Müllerus in Catullo recensendo etiam contra libros (cf. praef. ad Catull. pg. XIII) formas: aevom, novom, tuos, tuom simil. recipere non dubitavit.

Praeterea dicendum est de accusativo singul. num. eorum vocabulorum, quorum stirps in-i finitur. Atque huius quidem declinationis [1]) priscum et genuinum accusativum per-im terminatum esse, cum inde evincitur, quod apud antiquiores scriptores[2]) frequentiora eiusdem generis exempla occurrunt, tum ex graecae declinationis similitudine satis adparet, qua semper terminatio-ιν retinebatur. Latino vero sermone cum vocalis i paullatim in e transiret, pauca remanserunt vocabula, quorum accusativi singl. terminatio in-im per omnia linguae saecula adoptabatur, inter quos referendi sunt apud Propertium:

puppim 5, 6, 29 puppe F; sitim 3, 17, 6; 5, 5, 2; 9, 62; tussim 5, 5, 67; Tiberim 4, 11, 42; 5, 10, 25 Prisc. pg. 327 sq.

accusativi, quos apud ceteros quoque eiusdem aetatis scrip-

[1]) Schneider, II, pg. 206 sq. — Struve, Ueber die lat. Declination und Conjugation, pg. 285.

[2]) Eorum exempla diligentissime collegit Neue[2], I, pg. 200.

tores non raro legimus[1]). Aureae aetati contra minus usitata est forma:

navim 3, 22, 41 NDV L. M., Baehr. navem F
„ 4, 21, 11 N Luc. M., navem FDV Baehr., cum simul:
navem 3, 26, 42 (L. M., B.) omnibus libris mss. exstet.

Cf. Charis. I, 17, pg. 126: avem autem et navem: quoniam ab hac ave et nave faciunt, accusativus per i dari non potest. Ceterum conferenda sunt, quae de illo accusativo exposuit Brambach., l. l., pgg. 175—179.

Nota deinde est lex illa, qua ablativus nominum propr. urbes significantium, si nominativus in-e mittitur, eadem terminatione afficiatur. Priscian. VII, 11, 56 pgg. 333, 334. Cuius contra auctoritatem Propertius tamen metri sane necessitudine permotus ablativum scribere ausus est:

Praenesti 3, 32, 3:
Nam quid Praenesti dubias, o Cynthia, sortes.

Cf. abl. Praeneste apud Varronem, L. L. VI, 2, 4; Horatium, epist. I, 2, 2, alios.

Dativi denique sgl. vocabulorum, quae quartam declinationem profitentur, in-u pro vulgari-ui exeuntis (Gell. IV, 16), cum apud alios haud ita raro, tum in Propertii elegiis haec exempla reperiuntur:

manu 1, 11, 12; 2, 1, 66; 5, 6, 22; pinu 2, 19, 19 NV pīnu D pumi F; tumultu 3, 27, 7 ex coni. Luc. Müll. tumultum Baehrensius.

Restat, ut notemus eiusdem declinationis nominis: veru ablativum plur.:

veribus 4, 12, 29 NFDV Luc. M., Baehr. verubus Lachmannus, Keilius, Hauptius adversus codicum auctoritatem.

Hinc proxima quaestio instituenda est

[1]) De Verg. codd. eiusdem accusativi frequentia cf. Ribbeck., Prolegg. Verg. pgg. 136 et ind. gr. pg. 403.

De genere nominis substantivi.

C.

Etsi concedendum est Propertium in substantivorum genere excultam suae aetatis dicendi consuetudinem in universum secutum esse, tamen in elegiis nonnulli leguntur loci, qui cum ab aliorum optimae aetatis scriptorum usu aliquantum recedant, in his quaestionibus grammaticis memoratu digni mihi videntur. Quod spectat praecipue ad eas voces, quarum stirpes vocali i terminantur quarumque magna pars vulgari usu generis masculini est.

Apud Propertium contra duo eius generis nomina praeter usitatum masculinum genus femininum etiam profitentur, scil.:

finis 1, 16, 21: nullave finis; et

pulvis 3, 13, 35: horrida pulvis. Cf. Charis. pg. 89, 22: pulvis masculini generis est, quamvis Propertius dixerit: „qui nunc iacet horrida pulvis; Auct. anon. de dub. nom. V, 588, 5. — 1, 22, 6: pulvis Etrusca; 5, 9, 31: congesta pulvere, congesta NFDV congesto Vcorr; sed 1, 17, 23: extremo pulvere; 1, 19, 6: meus pulvis; 1, 19, 22: nostro pulvere; 5, 2, 40: medio pulvere.

Generis vero vicissitudinem illam significationum e discrimine nullo modo profectam esse, vel inde adparet, quod elegiarum locis allatis substantivum: pulvis utriusque notionis, et cineris et terrae aridae [1]) utrumque genus promiscue sequitur: Metri immo vel sonorum ratione a poeta adoptata videtur.

Colus deinde, quae vox vulgo feminini vim sibi vindicat, apud Propertium, ubi duobus locis occurrit, masculini generis est:

dextro colo 5, 1, 72; Lydo colo 5, 9, 48.

1) Cf. Kuttner, de Propertii elocutione quaestiones, Halle 1878, pg. 38, qua in dissertatione desideratur locus 5, 2, 40: medio pulvere.

D.

Jam nos convertamus ad ea nomina, quae inusitatiorem, qualis nonnullis in Propertii elegiarum locis cernitur, flexionis rationem sequuntur.

Ac primum quidem constat, cum lingua nondum ad concinnas elegantioris dicendi consuetudinis leges pervenisset, longe maiorem vocabulorum numerum inter diversas declinandi rationes fluctuasse, quam Augusti aetate, qua pauca duplicis vel insolentioris flexionis vestigia aut rustica dicendi consuetudine servata aut vera ex vetustatis recordatione a scriptoribus usurpabantur. Huc primum pertinet apud Propertium vox: exuvium 5, 10, 6:

et exuvio plenus ab hoste redis:

(exuvio D V, eximio F (Vmg. m. 2) exvivo N), quam res est notissima secundum usitatiorem linguae consuetudinem sequi pluralem num. primae declinationis, qualis in elegiis exstat:

exuvias 3, 14, 28; exuviis 5, 1, 116; 8, 63; 11, 43.

Deinde serta substantivum, quod neutrius gen. vulgo alteram declinationem sequi solet, a nostro poeta primae declinationi tributum esse videmus 3, 33, 37:

Cum tua praependent demissae in pocula sertae.

Qui locus firmatur testimonio Charis. pg. 107, 25: „serta neutro genere dicuntur, ut Vergilius (Ecl. VI 16): serta procul tantum capiti delapsa iacebant, sed Propertius feminine extulit sic: tua-sertae.“; Auctor. de dub. nom. V, p. 590, 24.

Contra leguntur etiam in elegiis metri rationibus fida:

Serta Philetaeis certent Romana corymbis 5, 6, 3;

Mollia, Pegasides, date vestro serta poetae 4, 1, 9.

Utrum ex: sertum, an ex: serta casus derivandus sit, diiudicari non licet:

Adferet haec unguenta mihi sertisque sepulcrum 4, 16, 23 [1]).

Praeterea notandum est vocabulum num. plur. neut. gen.:

[1]) Cf. Frahnert, l. l. pg. 36; Ewald, Philol. Anz. VIII, 8, pg. 409.

clatra 5, 5, 74 Beroaldus ex caltra NFDV cultra Vm. 2, quod vulgo profitetur masculinum genus num. plur.: clatri, quam declinandi rationem commendatam videmus a Capro de orthogr. VII, pg. 108.

Denique adversus usitatiorem rationem, ex qua nomen substantivum:

insomnia (Schlaflosigkeit) singul. gener. feminini esse solet, a Propertio plurali num. neutr. gen. adhibitum occurrit:

Cum satis una tuis insomnia portet ocellis 3, 25, 47. Cf. Serv. ad Aen. IV 9; V 840.

E.

Priusquam transeamus ad coniugationem, paucis exponamus, quid de flexione pronominum monendum sit, in quibus perinde atque in nominibus substantivis vel aurea aetate haud ita paucae remanserunt veteris moris reliquiae. Quod potissimum quadrat in pronomina adiectiva, quorum cum genetivus et dativus singul. num. antiquioribus temporibus frequentius secundae vel in feminino primae declinationis rationem sequerentur[1]), Augustano tamen aevo formae genetivi et dativi omnium generum, quales: unius uni simil., expolita dicendi consuetudine stabilitae erant.

Propertianis contra in elegiis non solum occurrit dativus: nullae:[2]) omn. codd.

Quam supra nullae peudebant debita cura etc. 1, 20, 35, sed etiam dat.: toto omn. codd.

toto quae praesidet orbi 4, 11, 57.

Cf. genet.: uni apud Catullum XVII, 17. Aliorum eiusdem fere aetatis scriptorum similia exempla collegit Neue², II, pg. 253 sq.

1) Charis. pg. 159. — Priscian., pgg. 196, 197.

2) Rectisssime Hertzbergium, quaestt. Prop. II, pg. 175 rem intellexisse puto, cum praemoneat, poetam nostrum „de industria, ne sonitus perderetur, insolentiores et obsoletas verborum formas pro usitatis et in medio positis arcessivisse.“

Dativorum deinde et ablativorum pluralis pronominis relativi, quos ceteri quoque cum pedestris orationis scriptores, tum poetae potissimum metri necessitate permoti breviore forma: quis vel queis nonnumquam arcessiverunt, apud Propertium haec reperiuntur exempla:

quis 1, 8b, 42; 3, 34, 88.

De genetivi et dativi singul. eiusdem pronominis vetustiore scriptura: quoius quoi, qualis Propertianorum codicum cons. apertissimis vestigiis passim indicatur, infra disputare in animo est, ubi rem orthographicam tractabimus.

II.

De verborum flexione.

Ut in substantivorum, adiectivorum pronominumque declinatione ostendimis exemplis supra in lucem prolatis priscum usum Propertii aetate nondum prorsus neglectum esse, ita in verbi flexione passim invenies, quae antiquiorem cousuetudinem manifesto redolere concedas. Quod non tam de eorum dicendi genere monendum est, qui pedestri oratione utebantur, quam poetarum, quos constat saepenumero non solum versus condicione, sed etiam antiquitatis studio quodam motos formas antiquas orationi implicuisse.

Itaque cum hoc capite de verborum apud Propertium flexionibus disserere in animo sit, ita rem instituemus, ut primum dicamus de veteris flexionis reliquiis, quae in ubertate quadam terminationum vel maxime cernitur; deinde de iis verbi formis, quae, ut sunt alienae a primitivo linguae usu, e vulgari pronuntiandi consuetudine ortae esse videntur.

A., Iam ut ad singula ipsa, quae in Propertii elegiis priscae flexionis aperta vestigia prae se ferunt, enumeranda perveniam, primo de infinitivo praes. pass. in — ier [1]) desinente pauca exponam, cuius apud nostrum poetam singulare exstat exemplum:

torquerier 4, 6, 39.

Quae plenioris infinitivi forma, qua Plautus, Terentius Lucretius frequentissime usi sunt, quamvis in aureae aetatis

[1]) De huius terminationis origine luculentissime disseruit Lud. Lange „Ueber die Bildung des lat. Inf. Praesentis Passivi“ in „Denkschriften der k. k Akademie der Wissenschaften zu Wien, philos.-histor. Klasse, vol. X.“ Kühner., I, pgg. 447 sqq.

pedestri sermone nisi in veterum legibus, sacerdotum egatorumque orationibus commemorandis [1]) omnino non occurrat, tamen apud poetas ea de caussa, quam supra tetigi, nonnunquam adoptata reperitur. Ceterorum quoque poetarum eiusdem fere aetatis exempla diligentissime collegit Lud. Lange, l. l. pg. 8, ut apud Catullum, Ciceronem in Arateis (de div. 2, 5, 14), Vergilium sena, apud Horatium novem, apud Propertium et Ovidium singula componeret. Quos quidem inter poetas statuendum est Propertium et Ovidium excepto Tibullo, qui nusquam eiusmodi infinitivum scribere ausus est, quam parcissime priscam illam formam admisisse. Atque unum, quod in Propertii elegiis, omnino exstat, exemplum:

„Me quoque consimili impositum torquerier igni“ certe sola versus necessitate adoptatum videtur.

Ubertas porro quaedam priscae linguae cernitur in verbi: posse formis, quod cum nihil aliud sit nisi compositum ex adiectivo: potis vel pote et verbo substantivo, non raro plena specie apud Plautum, Terentium, Lucretium, Catullum ita occurrit, ut modo potis legamus una cum verbo: esse, modo verbum, quod saepius fit, omittatur. Prioris generis nullum exstat exemplum apud Propertium, posterioris verbo substantivo neglecto duo mihi in promptu sunt: 2, 1, 46; 4, 7, 10, quorum utroque pote exhibetur.

Hic praeterea quae commemorentur dignae sunt formae verbales:
largibar 1, 3, 25 et
operibat 4, 13, 35,
quae, quamvis breviores sint, quam optimae aetatis dicendi genus postulat, tamen manifesto e prisca coniugatione in aureae aetatis profluxerunt [2]). Cuius imperfecti coniugationis,

[1]) Cf. Cic. pro Caecil. 33, 95; Top. 17, 68; Fam. 7, 12, 2; de off. 3, 15, 61; 17, 70; de re publ. 2, 34, 59; de dom. 53, 136; Liv. 1, 32, 7 al.

[2]) Cf. Curtius, die Bildung der Tempora und Modi im Griech. und Lat., pg. 291. — Corssen, Kritische Beiträge zur latein. Formenlehre, pgg. 539—541. — Struve, Ueber die lat. Declination u. Coniug.,

quae vulgo quarta vocatur, in — ibam pro — iebam desinentis cum singularis forma: ibam verbi „eundi“ per omnia linguae saecula communi usu adoptaretur, tamen in nonnullis etiam aliis eiusdem coniugationis verbis vel posteriores poetae [1]) saepenumero sane metri caussa genuinam et priscam terminationem redintegrarunt.

Ut in imperfecto quartae coniugationis poetae nostro veterum more breviorem formam pro pleniore usitatiore duobus locis, ita eiusdem coniugationis priscum futurum in — ibo cadens scribere placuit, scil.:

lenibunt 4, 21, 32.

Sunt sane apud Plautum et Terentium [2]) huius formae exempla frequentissima: apud Lucretium et poetas, qui ipsius Propertii aetate florebant, nullam eiusmodi invenies.

Nec minus perspicuum prisci sermonis vestigium cernitur in perfectis:

reccidit 5, 8, 44 N Luc. Müller, Baehr. recidit F decidit DV [3])

repperit 3, 33, 27 FDV; Luc. Müller, Baehr. reperit N, quae formae optimorum codicum scriptura geminatam litteram c vel p praebent.

Res quidem est notissima, in prisca coniugatione reduplicationem multo latius patuisse, quam aureae linguae aetate. Cf. Corssen [2], II, pg. 248 sq. Nam cum lingua latina magis magisque ab hominibus litteratis excoleretur, hanc in perfecto reduplicationem sensim debilitatam videmus, ut Ciceronis temporibus paucae illius prisci sermonis consuetudinis reliquiae exstent. Quod vel maxime dicendum est de verbis compositis, quibus in plurimis scribendis

pg. 137. — Reisig, l. 1, pg. 225. — Zumpt § 162. — Bopp, Vergl. Grammat. II, pg. 405.

[1]) Ceterorum similia diligentissime composuit Neue [2], II, pg. 448.

[2]) Cf. Neue [2], II, pg. 448. — Luc. Müller, De re metr., pg. 402.

[3]) Hanc scripturam re vera Augustano aevo tribuendam esse evincitur inscriptione ipsius aetatis: RECCIDISSE, cf. Mommsen, Zwei Sepulcralinschriften, pg. 465. — Corssen [2], I, pg. 38. — Lachmann ad Lucret. V, 614. — Cf. Kühner, I, pgg. 483 sq.

geminatione quoque consonae sublata genuinae reduplicationis vestigium prorsus reiciebatur.

Deinde verbi „cubandi", cuius perfectum atque supinum etsi florentis latinitatis aetate communi usu tertiam coniugationem sequi solebat, tamen Propertio scribere placuit coniunctivum perfecti:

cubaris 3, 15, 17; 16, 23.

Eiusdem verbi perfecti secundum primam coniugationem formati reperitur simile exemplum apud Quintilianum: cubasse VIII, 2, 20.

Restat ut commemoremus verbum „fervendi", quod apud Propertium insolentiore et antiquiore ratione tertiam coniugationem [1]) sequitur locis hisce:

Fervere et Hectorea Dorica castra face 2, 8 b, 32 et
Incipit et sicco fervere terra Cane 3, 28, 4.

Contra nullo modo possum animum inducere, ut putem verbum „cavendi" propter cavĕ 1, 7, 25 al. etiam tertiam sequi posse coniugationem, quod Servio videbatur ad Verg. Aen. IV 409. Illa enim forma sine ulla dubitatione secundae coniugationi tribuenda est vocali e vulgari maxima et cotidiana dicendi consuetudine correpta, qualem apud illius aetatis poetas non raro, apud antiquiores comicos saepissime cernimus.

Item formae perfecti:

contulĕrunt 2, 3, 25; fuĕrunt 3, 27, 7; stetĕrunt 2, 8 a, 10 e vulgari sermone profectae [2]) propter metri leges a Propertio adoptatae sunt.

[1]) Disseruerunt de verbi fervendi duplici coniugatione grammatici Priscian. IX, pg. 478; Probus de ult. syllabis VII, pg. 241; Corssen, Krit Beiträge etc., pgg. 538 sq. Cf. Ribbeck., Prolegg. Verg. pg. 176. — Aliorum similia exempla collegit Neue [2], II, pgg. 422 sq.

[2]) Cf. Kühner., I, pg. 439: Die Tragiker und Ennius auch in den Annalen gebrauchen nur Formen auf — ērunt oder — ēre; in der Form auf — ere findet sich das e vor re nirgends gekürzt. Die Kürzung der Endung — ĕrunt scheint von der Volkssprache ausgegangen zu sein; daher findet sie sich zuerst in der Sprache der Komiker etc.

B, Iam cum de vulgaris sermonis vestigiis, quae in Propertii verborum flexione deprehenduntur, dicturus sim, primum enumerare mihi liceat formas perfecti temporumque inde derivatorum ex plenioribus suffixo — vi formatis in breviores contractas, quarum usus per omnia linguae saecula latissime patet. Ut vero, quantum apud Propertium haec contraheudi ratio valeat, facilius intellegamus, primum eas formas in medium proferamus, quae in tota latinitate usitatissimae sunt, deinde, quae rarius apud ceteros quoque reperiuntur.

Longe frequentissima contractionis exempla, ut apud ceteros omnes scriptores, ita apud nostrum poëtam in iis verbis occurrunt, quae primam coniugationem sequuntur [1]).

Cuius generis exstant: violasse 1, 7, 16; pararat 1, 8b, 36; negarat 3, 22, 1; vexastis 3, 26, 37; cubaris 3, 16, 25; similia multa, ut longum sit, omnia ea proferre. Sed cum talium formarum collegerim 29 exempla: 1, 7, 16; 8b, 36; 16, 3; 17, 21; 23; 3, 13, 12; 16, 25; 22, 11; 25, 19; 26, 37; 28, 8; 25; 30, 17; 30; 32, 35; 34, 87; 4, 1, 5; 28; 3, 5; 12, 32; 33; 35; 16, 9; 21, 20; 5, 1, 79; 3, 27; 7, 24; 53; 11, 85;
pleniorum duo occurrant: erraverat 3, 20, 23; vocaverit 3, 23, 15, satis adparet, quantopere Propertius contractis primae coniugationis formis indulserit.

Quod contrahendi studium porro cognoscimus in perf. III et IV coniugationis temporibusque inde derivatis, cuius generis hae in elegiis exstant formae:
sepelissent 1, 17, 19; delenisse 4, 1, 41; mugisse 4, 12, 29; saevisse 5, 4, 39; petisti 5, 7, 31; mollisse 5, 11, 41; plenioris speciei: requieverat 3, 22, 25 et
II coniugat.: repleverit 2, 1, 67.

In verbo etiam „eundi" [2]) et inde derivatis monendum

[1]) Cf. Th. Ruddimann, Institutiones gramm. lat. ed. Stallbaum, I, pg. 281 sq. — Corssen², I, pg. 317 sq.; II, pg. 706 sq. Neue², II, pg. 397.

[2]) De varia simplicis verbi eundi apud Propertium significatione cf. Kuttner, l. l., pgg. 8—10.

est, Propertium formas ex ii in ī contractas plenioribus longe praeposuisse. Nam cum contractarum optimorum codicum fide undecim exhibeantur exempla haec:
isse 1, 20, 18: 3, 13, 56; 4, 1, 26; coisse 2, 1, 22; 4, 1, 44; 15, 8; adisse 4, 12, 34; subisse 5, 2, 30; redisse 4, 9, 40; 5, 3, 70; issent 4, 11, 37; duos tantummodo locos repperi, in quibus pleniorem formam adoptare poetae placuerit: periisse 3, 15, 13; 24, 41.

Perfecti deinde „novi" Propertius utitur contractis formis octo hisce:
nosse 1, 5, 18; 9, 20; norunt 3, 10, 25; 34, 24; nostis 3, 29, 8; norim 4, 15, 1; norant 4, 23, 5; nossem 5, 4, 51; cum duobus locis contractio omissa sit:
noverit 3, 22, 48; 25, 38.

Composita eiusdem verbi ceteris multo usitatiora simplici hoc loco non alienum videtur adnotare a nostro poeta omnino non usurpata esse.

Minus usitata, quam illa, de qua modo egimus, ea est syncope, qua stirpis consona v, non suffixi elidatur, cuius generis unum exemplum verbi movendi apud Propertium legitur:
admoram 4, 3, 5.

Praeterea commemoranda est forma III person. singul. indic. perfecti:
audit 5, 9, 39.

Quis facta Herculeae non audit fortia clavae etc.
Cuius syncopes minus divulgatae cf. similia exempla apud Lucretium: redīt 3, 502; inīt 4, 314; inritāt 1, 70 al. Cf. Kühn., quaestt. Lucret. pg. 31 sq. [1])

Rarissime deinde syncope adhibetur in I. persona plu-

[1]) Cf. Corssen[2], II, pg. 707: Auch in der Augusteischen Zeit und später finden sich in Inschriften die zusammengezogenen Perfectformen wie:

obīt, Cen. Pis. Or. 643 (4 n. Chr.)	audīt, Or. H. 5306 (104 n. Chr.)
J. N. 2898 (19 n. Chr.)	perīt, J. N. 3868
munīt, Or. 648 (Z. d. Aug.)	petīt, Boiss. J. Lyon. VII, 18
posīt, Or. 732 (66 n. Chr.)	vgl. Schuch. a. O. II, 505 f.

ralis num: ind. perf. act., cuius modi pauca omnino in tota latinitate, apud Propertium haec quattuor occurrunt exempla:
mutamus 3, 15, 9;
narramus 3, 15, 3;
consuemus 1, 7, 5; cf. suemus Lucret. I 301.
flemus, 2, 7, 2, quibus locis verborum e structura et sententia perfecti notio facile adparet [1]).

Atque etiam perfectorum, quae habent si, xi, psi, per similem syncopen contractorum in Propertii elegiis haec reperiuntur exempla tria indicativi:
cousumpsti 1, 3, 37;
dixti 4, 23, 15;
duxti 1, 3, 17,
duo coniunctivi latinitate sane frequentiora:
ausim 2, 5, 24; 19, 21 (profect. ex prisca forma: ausisim).

Exorta est manifesto haec dicendi licentia iam prisci sermonis propria, qua poetae scaenici [2]) frequenter usi sunt, ex vulgari pronuntiandi consuetudine. Quam vero late ea patuerit, vel inde colligitur, quod etiam alii posterioris aetatis scriptores et poetae tales formas nonnunquam admittere non dubitaverunt. Cf. apud Catullum infinitivi perf. exemplum: promisse CX 5; et indic. fut. exact.: recepso XXXXIIII 19.

Denique ad hanc quaestionum partem referri liceat participia perf. pass.:
imposta 5, 2, 29 [3]);

[1]) Madvigio opus. acad. alt. pg. 226 de his certe locis assentiri non possum, cum dicit, „liberiorem et audaciorem usum praesentis historici poetis concedendum esse.“ — Cf. G. Hermann, De J. Nic. Madvigii interpretatione quarundam verbi Latini formarum, Leipzig 1844, pg. 9 — Reisig, § 143 b cum notis 271 Haasii.

[2]) Collegit aliorum exempla diligentissime Struve, l. l., pg. 153. — Doctissime quaesitum est de hac dicendi ratione a Corsseno [2], II, pg. 553 sq. — Cf. Reisig § 144 c cum notis Haasii 273, 274. — Kühner, I, pg. 507 sq.

[3]) Reliqua eiusdem participii plenioris speciei exempla cf. apud Frahnert, l. l., pg. 27.

deprenso 3, 32, 27, cuius generis formas, cum apud Catullum et Tibullum illae omnino non reperiantur, inter aureae aetatis poetas Vergilius frequentius, certe metro ut sufficeret, adoptavit.

Jam vero multo gravior quaestio instituenda est, quale fuerit orthographiae genus in eo libro, unde nostri optimi codices orti sunt et quale in nostrae aetatis Propertii editionibus maxime sit probandum.

III.

Quaestiones nonnullae orthographicae.

Verum orthographia quoque consuetudini servit, ideoque saepe mutata est. Quintil. I, 7, 14.

Carolus Lachmann cum in Propertii editione a. 1816 p. 5 praemoneat, rationem scribendi ad morem saeculi Augusti, quantum fieri potuerit aut debuerit, se accommodavisse, luculenter profitetur, si quis veterum scriptorum opera ad sincerissimam librorum mss. fidem recognoscere velit, ei ipsorum scriptorum vel eorum aetatis orthographicum genus nullo modo esse spernendum. Quam artis criticae curam ut vel maxime adversus neglegentiam editorum, qui ei antecesserant, impendit, ita in universum id contendit, ut tota scribendi ratio librariorum imprimis medii aevi licentia atque temeritate gravissime perturbata ad pristinam restitueretur integritatem [1]). Qua in re cui errori vel criticus ille praestantissimus latius indulserit, dilucide exposuit Brambachius, Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie in ihrem Verhältniss zur Schule,

[1]) Cf. M. Hertz, „Karl Lachmann," Berlin 1851, pg. 19: Das wollte er in derselben (Properzausgabe) leisten, was alle Kritiker erstreben, wenige erreichen, den Properz sich selbst so ähnlich als möglich zu gestalten, indem er durch sorgfältige Arbeit den ganzen Text nach der Autorität der besten Handschriften der Wahrheit oder doch der Wahrscheinlichkeit gemäss gestaltete. — Lachmann, „Ausgaben klass. Schriftsteller darf jeder nachdrucken" Berlin 1841; pg 14. „Die Aufgabe des Herausgebers besteht darin, dass das ursprüngliche Werk des Verfassers möglichst, so wie er es verfasst hat, hergestellt werde."

Lpzg. 1868, pgg. 63 sq. et 259. Nam cum orthographia vulgaris in doctorum hominum usum secundum quattuor fere solos codices hos [1]: Vergilium Mediceum (saecl. V. cf. O. Ribbeck. Verg. prolegg. pgg. 219—222), Jnstitutiones Gai (saecl. IV. vel. V.), Novum Testamentum Fuldense (ante med. saecl. VI. exarat.), Digesta Florentina (saecl. VII.) optime disci posse putaret, eum plane fugisse videtur, testimonia illa, ut sunt et aetate et origine maxime inter se diversa, si anxie ad renovandam veterum scribendi rationem amplecteremur, futurum esse, ut turpiter mixta, non similis, nedum vera et cuiusvis scriptoris propria orthographia exsisteret. Quid? quod Lachmannus fidissimos in rebus orthographicis testes, inscriptiones et veterum grammaticorum exempla, si minus prorsus neglegebat, at certe non eam, quam par est, iis tribuebat auctoritatem? [2]).

Atque notum est studium illud a Lachmanno incohatum artis criticae non in constituendis solum sed etiam in scribendis verbis exercendae a Friederico Ritschelio ad tantam perfectionem esse deductum, ut illum re vera insignissimum orthographiae correctorem praedices. Nam quam prospere omnibus, quotquot praesto sunt, vetustatis fontibus: inscriptionibus, nummis, scriptoribus grammaticis, libris manu scriptis via ac ratione arcessitis profecerit et in genere orthographico et in totius latinitatis per varia saecula progressionibus penitus cognoscendis, cum ex haud paucis Opusculorum quaestionibus grammaticis et epigraphicis satis adparet, tum ex Prolegomenis ad Plauti Trin. et Priscae latinitatis thesauro, cuius tabularum in enna-

[1]) Comment. in Lucret. pg. 203: Habemus autem hic auctores non grammaticos verae rationis ignaros, sed eos libros, e quibus orthographia vulgaris optime disci potest, Vergilium Mediceum, institutiones Gai, novum testamentum Fuldense a me editum, digesta Florentina.

[2]) Brambach., l. l, pg. 64: Man kann es nicht leugnen, dass Lachmann namentlich die Grammatiker zu gering taxirte, obwohl sie, trotz ihrer mangelhaften Einsicht in die Sprachgeschichte, wenigstens die sprachlichen Thatsachen besser, weil bewusst, lehren, als selbst die besten Handschriften.

rationem quantam sagacitatem et doctrinam impenderit, non est cur longius persequamur. Sat enim est laudata et probata a doctis et gravibus viris [1]).

Jam ut has rationes a Lachmanno et Ritschelio acutissimis ingeniis commendatas in Propertii carmina, quoad id quidem pro meis viribus potero, transferam, — videntur enim mihi et L. Müllerus et Baehrensius haud paucos in scribendi genere locos ad emendandum reliquisse, — permagnas mihi vel praeclarissime grammaticorum antiquissimorum praesidio ab Henrico Keilio in lucem prolato obstare difficultates facile intelleget, qui codicum Propertianorum naturam atque indolem diligentius perspexerit.

Constat quidem inter omnes, ut Catullianorum et Tibullianorum, ita Propertianorum, quotquot etiamnunc exstant, nullum librum ms. ante saecl. XIV., longe plurimos XV. saeculo esse conscriptos [2]). Quorum e magna multitudine partim ab Italis audacissime interpolatorum partim librariorum inscitia et stupore pravissime corruptorum quamvis codicis Neapolitani, id quod supra monuimus, testimoniis ut integerrimis in constituenda sincera lectione praeter ceteros niti debeamus, tamen in Propertianis carminibus ad pristinam archetypi orthographiam revocandis ne corrupta quidem apographa contemnenda esse nunc exponamus. Quod vel maxime e Baehrensianorum codicum indole mihi adparebat, quorum etiam in ortho-

[1]) Longe plurimas Ritschelii quaestiones grammaticas et epigraphicas ante Priscae latinitatis thesaurum editum pulcherrime illustravit O. Ribbeckius (Jahrb. für class. Philologie tom. LXXV, a. 1857, pgg. 304—324; tom LXXVII, a. 1858. pgg. 177—199) commentationibus quae inscribuntur. „Ueber F. Ritschl's Forschungen zur lat. Sprachgeschichte.“

[2]) De Neapolitani, quem Lachmannus et Hertzbergius perperam tribuunt saecl. XIII, actate cf. L. Mülleri, praef. pg. IX sq, denuo instituta collatione maxime probabilem coniecturam, qua saecl. XIV vel potius XV exaratus videtur liber ms. Huc praeterea referendum est, quod adnotatum est pg. V: Ceterum codices saeculo XV priores extant aut nulli aut paucissimi.

graphica re variae lectiones una cum N cod. summa cum diligentia collectae in eius editione exhibentur.

Hi vero codices omnes, qui sicut liber N certa temporis nota carent, cum sint profecto una fere eademque, qua Neapolitanus, aetate scripti, quid obstat, quominus eos de eodem etiam archetypo ac librum N, non alterum ex altero originem duxisse suspicemur[1]), praesertim cum ante annum p. Chr. 1374 haud sciam an non complures nostri poetae libri manu scripti in doctorum hominum manibus fuerint[2]).

Nam quod codicibus AFVD magna pars corruptarum potius quam interpolatarum, a N libro ms. licet prorsus alienarum lectionum exhibetur, id nullo mihi videtur esse

[1]) Qua in re cum de origine AFVD librorum mss. Baehrensio (prolegg. pg. VII) assentiamur, plane tamen secundum Hauptii opuscl. II, 52 sq. disputationem et Luc. Mülleri praef. pg. X commendationem cum Fried. Leone, mus. Rhen. XXXV, pg. 441 sq. refutanda est Baehrensii sententia, peculiari e docti viri novandi studio profecta librum N interpolatum apographon esse ex codicibus AFVD ortum, quamvis ne huic quidem tantam aetatem tribuerim, ut ceteris vetustiorem eum esse concedam.

Videnda est Hertzbergii quaestt. Prop. III, pg. 233 de suis codd. sententia: Nam cum codd. mss. alterum ex altero fluxisse ne semel quidem possis confidenter affirmare, cumque in certas quasi familias et sectas difficulter et raro tantum coeant, tamen ipsa haec discrepantia suum habet et proprium commodum.

Huc referenda est „Eine Properzhandschrift“ dissertatio Henrici Schenkl, (Wiener Studien, 3. Bd 1881) p. 160: Leo hat überzeugend dargethan, dass FV von Haus aus interpolirt und aus 2 etwas besseren Handschriften corrigirt, nicht erst durch diese Correctur, wie Baehrens meint, interpolirt worden sind.

In iis quae sequunter Schenkelius nostri poetae codicem Corsinianum (C) 43 E 8 (saecl. XV) affinem esse demonstrat admodum probabiliter libri mss. incogniti, ex quo derivandae sint Baehrensiani codicis V secundae manus emendationes.

[2]) Luc. Müller praef. pg. IV: Jam nemo post saeculum sextum per medium aevum extitit qui meminisset Propertii. Eius autem carminum codex videtur esse inventus aetate Franc. Petrarcae medio fere inter Catulli et Tibulli carmina recuperata temporis intervallo. Certe Petrarca habuit Propertium pariter atque Catullum in bibliotheca. Ex qua ut exempla horum poetarum sibi describerentur anno 1374 petiit Coluccius. Cf. M. Haupt. opuscl. I, pg. 277 sq.

momento ad persuadendum, codicem Neapolitanum et duas, si Baehrensium auctorem sequimur, membranarum familias AF, VD ex diversis fontibus profectas esse. Immo plane diversum fuisse ingenio et doctrina librarium codicis N existimo ab iis, quicunque AFVD libros conscripserunt. Illum enim ut videmus lectiones sui codicis ad archetypi fidem quam strictissime repraesentasse neglecta sane, quae tum levioris momenti videbatur, passim vetustissimi libri orthographia, ita hos, si verborum sensum vel inusitatas neque satis certo adparentes litterarum archetypi formas non intellegebant, verum et germanum textum et interpolationibus turpiter corrupisse et inconsiderate depingentes vel adversus ipsorum voluntatem stulte commutasse ita quidem, ut quidquid archetypi priscae scribendi rationis in cod. N ad saeculi XIV vel XV usitatiorem orthographiam transformatum exstat, ceterorum librorum mss. ex eodem fonte profectorum saepenumero integris testimoniis vel ipsis corruptelis aliquando indicetur.

Cum autem singularibus quibusdam locis eadem priscae scribendi rationis documenta vel sincere exhibita vel corruptelis satis indicata in omnibus libris NAFVD, cuius in orthographico genere variae lectiones mihi praesto sunt, recurrant, manifestius liquet ad unum archetypum redire omnem nostram memoriam[1]).

Sunt ergo Baehrensiani codices AFVD, quos Fried. Leo l. l. ad artem criticam prospere exercendam ullam utilitatem habere omnino negat, ubi in scriptura deficit Neapolitanus, id quod passim cerni posse testatur L. Müllerus[2]), vicarii si minus ad lectionem confirmandam, at certe vetustissimi amissi codicis scribendi rationem supplendam atque adumbrandam haudquaquam contemnendi.

[1]) Cf. Hetzel, l. l. pg. 2.

[2]) Cf. praef. ad. Prop. pg. XV: Restat ut de orthographia libri N disseram; quae mirum in modum exhibet mixta et confusa interse vera falsa dubia. Praeterea cf. Fried. Leo l. l. p. 446: orthographia codicis N, quae in multis superior est illius aevi consuetudine et scientia, certe non interpolatori debetur et qu. s.

Nec tamen ignoro, vel maxime Italos librarios medii aevi studio antiquitatis quodam inductos priscam orthographiam, quae ne archetypis quidem exhibebatur, frequenter libris inseruisse. Quod non quadrare in codicem Neapolitanum cum ipse collatis locis cognovi tum manifestius firmatur Luc. Mülleri praef. pg. XVI verbis his: Ad summum agnosces librarium ex parte scripturam libri veteris cum fide repraesentantem, sed non rarius eandem sui temporis vitiis permutantem, nec de libris mss. AFVD suspicandum esse, mihi quidem locis eorum pariter atque N cod. quam diligentissime collectis consentaneum est, quibus librarios suae potius aetatis scribendi rationi se accommodasse, quam priscae archetypi orthographiae exempla reliquisse adparet. Ceterum hoc loco notanda videtur Baehrensii prolegg. pg. IX sententia de omnium codicum NAFVD orthographia: „In sola re orthographica fieri potest, ut libri N testimonia singularia fidem mereantur, cum in illa vel fidelissimi (!) cetera librarii saepius suam secuti sint consuetudinem minimeque sibi constiterint. Quare in his Neapolitani scribam haud indoctum certisque usum normis interdum meliora servasse non inepte sumes."

Quae cum ita sint, quotquot reperiuntur priscae orthographiae exempla vel vestigia in libris NAFVD, ea reverentia quadam ut sunt profecta ex vetusto libro, servanda esse omnium certe consensu proponimus [1]).

Haec praemittenda putavi, ut quibus rationibus nisus Propertianorum carminum etiam in orthographicis rebus recensionem a Lachmanno commendatam pro nostrae aetatis criticis subsidiis adiuturus essem explicarem [2]). Qua

[1]) Ab Ritschelio satis notum est easdem rationes in Plauto recensendo probatas esse. cf. Prol. Trin. pg. XCIII.

[2]) Vide quae monet Schuchardtius, I, pg. 8: In Handschriften 1. Grades (cf. quam proponit pg. 7 librorum mss. divisionem) finden wir nur die Orthographie des Autors (?), in Handschriften 2. Grades diese und die des librarius, in Handschriften höherer Grade die ursprüngliche des Autors, die spätere der zwischen liegenden Exemplare und die späteste der eigenen Zeit. Für die Unterscheidung der zweiten von der dritten ist das einzig

in re tantum abest, ut inter barboros natum restituere me posse fortiter confidam ipsius poetae manum, ut hac artis criticae parte ante omnia ad amissi archetypi imaginem mente nobis conformandam sperem me aliquantulum esse allaturum. Tum deficiente codicum testimonio nostra Minerva iudicare licet, quid a scriptoris manu venire potuerit, quo corrupti loci emendarentur.

Sed iam singula, quae observatione maxime digna mihi visa sunt, perlustremus, ut sublatis et emendatis, quot quot occurrunt, novarum editionum vitiis simul adpareat, quanta inconstantia quantaque licentia in rebus illis non tam minutis versati sint usque ad hanc aetatem vel optimi editores.

Prisci sermonis proprium erat, o litteram ubique exhibere praecedente v vel u in vocabulis, quae posteriorum pervulgato more geminatis uu litteris scribi solita esse testimoniis adparet grammaticorum Charis pg. 75, 4; Vel. Long. pg. 58, 4; Terent. Scaur. pg. 12, 20. Marii Victorini VI, pg. 13, 3; 14 sq.

Quam commutationem ut in pronuntiandis, ita in scribendis eiusmodi verbis non subito sed pedetentim factam esse, in promptu est videre. Certe (cf. Corssen.², I, 73 sq.) [1]) usque ad Augusti aetatem inter utramque scrip-

sichere Kriterium die Vergleichung aus einer (selbst wiederum abgeleiteten) Quelle stammender Kodices unter einander.

Eandem in eiusdem recentioris aetatis libris viam ad amissi archetypi orthographiam repraesentandam sagacissime commendatam nuperrime vidi ab Henrico Keilio in disputatione de libris manu scriptis Catonis de agri cultura, Hal. ind. schol. 1882 pg. XI sq.

[1]) Idem persuasum est Brambachio, l. l. pg. 88: Man kann für den Process des Umlautens von VO zu VV ein Jahrhundert 724—824 der Stadt (etwa von Augustus' Regierungsanfang bis Vespasian) annehmen, etc., pg. 97: Die Grammatiker der Hadrianischen Zeit sehen auf die Schreibung VO als auf eine alte, nicht mehr übliche hin. Cf. Kruczkiewicz., Wien. Stud., 2. Bd. 1880, pg. 135 sq. „Ueber die Geltung des Schriftzeichens VO und des mit einem konsonantischen V schliessenden Schriftzeichens OV in der Sprache

turam summa erat fluctuatio. Quintilianus[1]) quidem, cuius temporibus vulgus et servus scribebant, quod monet praeceptores suos servom et cervom (1, 7, 26) scripsisse, id de poetis etiam eiusdem fere aetatis non solum suspicari licet, sed luculentissimis librorum mss. documentis evincitur. Ita Vergilium Wagnerus exposuit (orthog. Vergil. tom. V. pg. 445 sq.) in omnibus eiusmodi locis prisca scribendi ratione usum esse per uo[2]). Nec pauca eiusdem generis exempla apud Catullum exstare demonstraverunt Heussner., observatt. gramm. in Cat. libr.., Marburg 1869; Reeck, de Catullianorum carm. re gramm. et metrica, Breslau 1872, p. 9 sq.

Propertianis etiam in libris mss. quanta sit talium formarum frequentia ut cognoscatur, quae mihi occurrebant exempla vel vestigia iam in medium proferam:

I., o pro recentiore u post v.

1) volsi 5, 8, 23 NFVD (vulsi Puccius, volsci G.).
2) Volsunios 5, 2, 4 L. Müll. coni. ex Volsanios NDV cf. Fabrett. in corp. inscr. Ital. s. v. Volsinium, Volsanos F G Baehr.

Corruptela indicata videtur prisca orthographia hoc exemplo:

3) cavo 5, 1, 149 NFVD Luc. Müll. cavum Fm. 2 corr.; vel. tremefacta cavom tellus diducat hiatum Baehr. cf. Corssen.², 1, 73.

II., o post qu:

1) equos 3, 34, 38 NFVD Luc. M., Baehr. equus Lachm., Keil., Hpt. cf. apud Catull. LXVI, 54 nominat. equos omn. consent. codd.[3]).

der gebildeten Römer seit der Zeit des Erlasses über die Bacchanalien vom J. 186 v. Chr. Geburt."

1) Cf. 1, 4, 11.

2) Praeterea cf. membranarum Verg. frequentissimos eius generis locos in Ribbeckii Prolegg. ind. grammatico collatos pg. 438 sq.

3) Cf. Prob. cath. 50 = p. 27, 16 K.: „Quos quus secundae sunt declinationis, qui faciunt genetivo, equus equi," quibus verbis aperte conicias, ne Probi quidem aetate fluctuationem inter terminationes quos et quus prorsus evanuisse.

2) quom [1]) 2, 9, 15 quō D V cum tibi F N L. M. quando ibi nimis audacter coni. Baehr.

Ex corruptelis qua scriptura exaratus fuerit archetypus, hisce locis colligi potest:

3) quom 5, 1, 129 cum N F L. Müll., Baehr. non D V quom huius mg. m. 2.

4) quom 2, 3, 17 coni. Lachm. et eum sec. Baehr. ex quod N F D V L. Müll.

„Quod" probabilitate carere mihi videtur, quia paullo infra coniunctio „cum" eadem ac „quod" vi usurpatur. En habes ipsum locum:

Quantum q u o d posito formose saltat Jaccho,
Egit ut euhantes dux Ariadna choros,
Et quantum Aeolio c u m tentat carmina plectro etc.

5) q u o m 5, 6, 36 **coni. L. Müll.** ex quem N F D V Lachm. Baehr.

6) quom 4, 8, 29 quo D V quom Baehr. cum N F Lachm., L. Müll.

7) quom 2, 3, 15 coni. Baehr. ex qua N F D V L. Müll.

8) quom 3, 26, 6 quam N F D V L. M., Baehr. cum Heinsius; (melius quom adnot. Baehr.)

9) quor 2, 6, 37 Baehr. coni. ex quos N F V D sensui mea quoque sententia minus accomodatum. Cf. Brambach, l. l., pg. 228 sq.

Quibus priscae scribendi rationis documentis denique adnumerari licet formam

com 2, 1, 31 de qua L. Müll. in praef. pg. XXIV [2]):

[1]) Cf. Brambach., pgg. 223. 227. Etiam in Catulliano archetypo priscam scripturam quom extitisse probaverunt Hauptius LXVI, 79 (coniec. ex quem Laurent.) eumque secuti Schwabius et Luc. Müllerus. Praeterea notandum ad optimorum Catull. codd. fidem eadem fere qua Propertiani exaratorum a Lachm., Schwabio, L. Müllero talia priscae speciei exemplaria in textum recepta esse: servos XXIII, 1; calvos LIII, 3; novos LXI, 54; volt LXI, 205; convolsus LXII, 40; devolsit LXIIII, 5 (ex emendatione Hauptii, Quaestt. Cat. pg. 70); divolso LXIIII, 257; aequom LXII, 60, vocuos LXIIII, 288 (ex prob. coniect. Bergkii) simil.

[2]) Praeterea cf. praef. pg. XV: Saepe pro coniunctione et ali-

„In archetypo erat scriptum com tractus, pro quo habet G contractus, N graviore interpolatione cum attractus.“ cum tractus L. M., cum atratus Baehr. minus probabiliter scripsit, quamvis cum tractus DV libris mss. firmetur.

Haec igitur exempla, si quis id agit, ut Propertiana carmina in orthographico genere Italorum temeritate et licentia foedissime corrupta, quantum fieri possit, ad archetypi integritatem revocet, ei reverentia quadam veteris moris retinenda existimanus. Nec vero possumus intellegere, cur L. Müllerus, qui etsi in constituendo Catulliano textu vel contra libros mss. formas quales: ingenuos, aevom, novom simil. probavit [1]), tamen in Propertiano hanc priscam scribendi rationem neglexerit. Quid? Propertius, cuius codices, quotquot nunc exstant, eadem fere aetate eodemque Italo librariorum genere conscripti sunt [2]), cum sit fere aequalis Veronensis poetae idemque genus poesis elegiacum profitens nonne simili eum usum esse scribendi ratione atque Catullum propius ad veritatem accedit coniectura?

Sed ut apertissimis certe testimoniis niso ex supra allatis formae: equos 3, 34, 38; Volsunios 5, 2, 4; quom (coniec. ex quem) 5, 6, 36 Luc. Müllero placuerunt dignae quae in textum reciperentur, ita sane non videmus, cur rursus formas quales:
voltus c. casus inde der. : 3, 10. 9; 3, 22, 11; 3, 23, 9; 4, 18, 9; 5, 3, 27; 5, 6, 33; 5, 8, 57.

quando pro praepositione legitur (scil. in cod. N) c̄ hoc est con, quasi fuerit in archetypo com, quod tamen hic indicasse satis habemus. In libro quoque Groningano legitur quom 1, 5, 28, ubi ceteri codd. omn.: cum, quod in verba poetae recep. Lachm., Jacob., Hertzbrg., Keil.

[1]) Luc. Müll. praef. ad. Catull. pg. XIII: scripsi ubique quoi, ingenuos, aevom, tuos, tuom, etiam *contra* libros, quippe hoc modo non alio Catulli aetate scripta fuisse verba ista extra dubitationem erat positum etc.

[2]) L. Müll. praef. ad. Catull. pg. IX sq; M. Haupt., ind. schol. Berol. a. 1857, pgg. 5, 6.

volgus c. cas. inde der.: 1, 2, 23; 3, 23, 1; 4, 16, 26. Cf. Prisc. I, pg. 27, 9.
volgaris c. cas. inde der.: 1, 13, 11; 4, 23, 8;
volnus c. cas. inde der.: 2, 1, 44; 63; 3, 12, 12; 22, 7; 4, 11, 6; 14, 8; 21, 32; 24, 18; 5, 4, 30,
in editione adoptaverit quales nullius Propertii codicis fide traduntur. (Confer ipsius editoris praef. ad Prop. pg. X: O pro u praecedente u servari non memini nisi III, 34, 38 equos pro equus et V, 2, 4 Volsanios pro Vulsunios.)

Ista igitur scribendi ratione cum L. Müllerus ipsius poetae vel eius aetatis orthographiae memoriam redintegrare voluisse videatur, quod quam lubricum studium sit Schuchardtius exposuit l. l. I. pgg. 7—10 [1]), tamen inconstantiae crimen subiens retinuit in editione traditam scripturam locis hisce: vulnere 1, 1, 13; vulneris 3, 25, 16; vulnera 3, 34, 92; 4, 8, 21; vulgo 3, 16, 25; vulgi 4, 4, 14; vultu 3, 25, 13.

Etsi minime animum inducere possum, ut vetustissimos ipsorum antiquorum scriptorum codices putem omni in scribendi genere inconstantia prorsus vacasse [2]), tamen haec, quae modo in lucem produximus, scribendi exemplaria novissimorum editorum arbitrio adversus omnem codicum fidem contextui demum inspersa omni modo censeo reicienda. Perturbatur magis scriptura librariorum Italorum temeritate iam neglecta, quam purgatur atque emendatur [3]).

Consideranti igitur, quo scribendi genere in archetypo

[1]) Pg. 10: Das Resultat für die Praxis: Man verzichte bei der Herausgabe römischer Schriftsteller darauf, die individuelle Orthographie herstellen zu wollen.

[2]) Idem visum est Schuchardtio I, pg. 9 sq. Betrachtungen ganz allgemeiner Art verhindern mich, zu glauben, die authentischen Handschriften solcher Klassiker, wie die obengenannten (Vergil, Tacit., Gellius) hätten eine durchaus konstante Orthographie gezeigt, wären von jedem sog. lapsus calami frei gewesen.

[3]) Vide quae monet Brambachius, l. l., pg. 66: Wenn wir aber auch auf Herstellung individueller und temporär scharf abgegrenzter Texte verzichten müssen, so sollen wir doch nicht so weit gehen, dass wir ein buntes Gemisch alter und neuer Schreibweise einführen.

eius modi formae exaratae fuerint, a veritate mihi non alienum videtur proponere, ubique eas scriptas fuisse: vultus, vulgus, vulgaris, vulnus c. casibus inde prof., propterea vel maxime, quod omnium codd. N ADFV consententium auctoritate omnibus in talibus verbis geminatae vv litterae scriptae exstant.

Quam orthographiam e constantissimo quodam, si quis proponat, librariorum Italorum transformandi studio ad suae aetatis scribendi consuetudinem non repetendam, sed ad ipsum vetustissimum librum referendam esse ei consentaneum erit, qui considerabit in his potissimum verbis: volt, voltus, volgus, volnus simil. scribendis vel posterioris aetatis librarios recordatione vetustatis permotos, priscam scribendi normam frequentissime renovasse [1].

Quae cum ne singulari quidem membranarum N AFDV exemplo firmetur, si orthographiam potius ad archetypi traditionem, quam ad Propertianae aetatis proprietatem revocare volumus, cum Baehrensio ubique redeundum est ad scribendi rationem Lachmanno, Jacobo, Keilio, Hauptio probatam: vultus, vulgus, vulgaris. vulnus c. cas. —

Contra pronomen poss. II. person. in archetypo scriptura antiqua per o pro e exaratum fuisse, quamvis nulla in codicibus huius orthographiae integra exempla invenerim, tamen ex gravissimis vestigiis conici licet. Locis enim hisce imprimis codicis F:

nostris 1, 5, 9, 0 votis Nm. 2. corr. vestris Baehr., votis L. M.
nostris 1, 18, 22 AFV m. 2.
nostra 3, 25, 40 NF
noster 3, 34, 30 DF Baehr. vester VN Luc. Müller.

[1] Cf. Schuchardt, l. l. II, pg. 179: Bis in die späteste Zeit war die Scheu vor der Lautverbindung vo oder uo lebendig (suos, servos, captivos u. s. w. sind in Kodd. nicht etwa bloss archaischer oder klassischer Schriftwerke sehr häufig), besonders bei folgendem komplizirten L.-Formen, wie volt, voltus, volgus, volpes, Volcanus, volnus, ovolsa, Volciens, voltur, Volturnus finden sich nicht nur in der ersten Kaiserzeit, sondern auch später etc.

nostro	4, 1, 19	F	vestro	L. M.	Baehr.
nostra	4, 18, 8	F	vestra	„	„
nostro	4, 18, 10	F	vestro	„	„
nostros	4, 19, 9	F	vestros	„	„
nostris	5, 11, 88	F	vestris	„	„
nostros	5, 11, 95	F	vestros	„	„

leguntur noster c. cas. inde derivatis, ab enuntiati sententia prorsus aliena, ubi ceteri libb. mss. vester pronomen II. person. verborum structurae unice conveniens praebent. Cuius confusionis exemplis adici licet haec duo:

vestris 4, 23, 3 F nostras Nm. 1 nostris ceteri L. M. Baehr.

vestros 5, 11, 42 FDV a Baehr. rec. nostros N L. Müller sententiae minus conveniens.

Unde suspicor in vetustissimo libro, quem librarius codicis F descripsit, formam priscam v o s t e r[1]) ei occurrisse, quam, cum ignoraret antiquiorem scribendi morem, verborum sententia neglecta stulte ad suum accommodavit usum[2]).

Nec tamen ignoro pronomina noster et voster libris mss saepenumero prima vocabulorum littera excepta eodem exhiberi solita esse compendio, ut utrum O an E littera supplenda sit vix possit discerni. (Cf. L. Mülleri praef. ad Catull. pg. XIII.) Quem scribendi morem ad archetypi Propertiani speciem non pertinere is concedet, qui Luc. Mülleri (praef. ad Prop. pg. XIV[3]) coniecturam probat, scripturam illius codicis vetustissimi fuisse quadratam vel uncialem, ut nunc pervulgato usu appellatur, quam

[1]) Cf. Mar. Victor. VI, 10, 22.

[2]) Antiquissimis iam temporibus hac librariorum licentia libros corruptos esse testantur Gellius 20, 6, 14; Quintilian. 9, 4, 39; Hieronym. ad Lucin. ep. 71, vol. I, 431 ed. Vallars.

[3]) Quaedam sine dubio vitia quae observantur in N vel G adhaeserunt ex scriptura quadrata vel unciali velut III, 24, 10 fluere pro eluere; V, 11, 30 aera pro Afra; 7, 45 lalace pro Lalage, ib. 10, 42 caesa pro gaesa, ib. 1, 61 gingat pro cingat, et aliquando t posita pro i.

satis notum est, talibus scripturae compendiis etiamtum caruisse [1].

Sed cum etiam in codice N
nostris 1, 5, 9 p. m. votis sec.
nostra 3, 25, 40 F vestra D V
nostros 5, 11, 42 vestros F D V Gr.

scriptura „noster" praebeatur, ubi pronomen voster verborum sententiae solum convenit, hanc probabilitate non carere existimamus sententiam, librarium codicis N, ut reliquis locis archetypi orthographiam: voster ad suae aetatis usitatiorem vester cum constantia quadam revocaverit, ita locis supra allatis tribus similitudine V N litterarum deceptum [2]) neglecta sane versuum sententia contra ipsius voluntatem duo gravissima priscae vetustissimi codicis orthographiae vestigia reliquisse, ut his quoque indiciis communis codicum nostrorum origo mirum in modum confirmetur.

Quae cum ita sint, si recte statuimus non solum poetae ipsius aetate sed posterioribus etiam temporibus in vulgari sermone servatam hanc priscam pronuntiandi et scribendi rationem cum in nonnullis aliis eiusmodi vocabulis, tum in pronomine poss. II. pers. latius patuisse [3]) non dubitamus

[1]) Wattenbach, Anleitung zur lat. Palaeographie pg. lithographi arte expressa 20: In den meisten Maiuskel-Handschriften kommen keine Abkürzungen vor, ausgenommen am Ende der Zeilen, wo der Raum nicht ausreichte etc.

[2]) Eundem librariorum codd. Verg. errorem perlustravit Ribbeckius, Prolegg. Verg., p. 251: N scripta pro V in
in ecl. X 32 vostris) NOSTRIS in P
in ge. I 17 ovium) ONIUM in M
in Aen. X 417 cavens) CANENS in MPRγbc

[3]) Cf. Quintil. 1, 7, 25. Annaeum Cornut. apud Cassiod. VII, 149, 16: Vostra olim ita per o, hodie per e, ut advorsa adversa, pervorsa perversa, votare vetare, vortex vertex, convollere convellere, amploctere amplectere. — Huc referenda sunt quae monet Brambachius, pg. 102: Man darf indessen aus diesem Reste, welchen wir von den wahrscheinlich ausführlichen Vorschriften des Cornutus erhalten haben, nicht schliessen, dass das O im 1. Jahrhundert n. Chr. vollkommen zurückgedrängt gewesen wäre. Praetcrea cf. Schuchardt., II, pg. 216: In wenigen dieser Wörter drang e

pronuntiare, si modo id agimus, ut ad archetypi exemplar elegias Propertianas corrigamus, omnibus in locis supra allatis priscam orthographiam voster restituendam esse eodem iure, quo in Catullo [1]) recensendo, ubi optimi libri etiam noster adversus sensum praebent, Lachmannus, Schwabius, Hauptius Ellis., Luc. Müller. illam adsciverunt.

Haec igitur sententia cum tam certa sit miror sane, quod Baehrensius tamen scripturam „vester" in locis laudatis vetustiori praeposuit, praesertim cum solius libri D auctoritate „vorteret" 4, 7, 43 (ceteri verteret) et secundum D V libros mss. „divorsae" 4, 3, 33 (diverse N F) in editionem receperit.

Porro ut in antiquissimis linguae monumentis, quoad eórum reliquiae ad nos pervenerunt, frequentissime pronominis formae: „quoius et quoi pro cuius et cui recentioribus [2]) leguntur, ita Propertianis quoque in libris manu scriptis haud pauca atque apertissima priscae illius scripturae indicia relicta videmus.

Exhibent videlicet plurimis eiusmodi locis vel optimi codd. corruptam et a sententia verborumque structura prorsus alienam lectionem, qua tamen et ipsarum corruptelarum specie et natura facile evincitur, archetypum priscas formas habuisse, quas cum librarii nec intellegerent nec explicare possent, stultissime ipsorum arbitrio commutaverunt.

für o nicht durch; in einigen aber schon sehr früh. In anderen wahrte die gemeine Sprache o: vostro ital., sp. vuestro, pg. vosso, pr. vostre, fr. vôtre, wal. vostru.

[1]) Vostra XXVIIII, 13; vostri LV, 22; LXI, 205; vostras LXVI, 87. Ceterum de pronominum voster et noster confusione in Catullianis libris luculenter exposuit Schwabius, quaestt. Catull., pg. 154. — De poët. scaen. libb. mss. frequentia cf. Ritschl. Prolegg. Trin., pg. XCV.

[2]) Vel. Long. VII, 76, 3; 77, 10. — Corssen[2], I, pgg. 68, 706, II, 760. Brambach., pg. 228: Nachdem man etwa bis in die Hälfte des 1. Jahrhunderts quoi festgehalten hatte, trat entschieden die leichtere Form ein, wie Quintilian bezeugt 1, 7, 27: illud nunc melius, quod cui tribus, quas praeposui, litteris enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum q et u et o et i utebantur, tantum ut ab illo qui distingueretur.

Prius ut locos afferamus, quibus ipsa veteris moris scriptura codicibus servata exstat:

quoius 1, 20, 45 DV cuius NAF

quoius 2, 6, 26 D, quovis V, cuius F cuivis N quoivis Baehr.

quoilibet 2, 6, 26 DV Baehr. cuilibet F, quidlibet N,

quoi 3, 24, 3 DV cui NF [1]),

jam componamus eas lectiones, ubi quid veteris scribendi rationis vetustus codex habuerit, ipsis corruptelis satis indicatur. Quarum haec exempla mihi in promptu sunt:

quoi 3, 5, 47 Baehr. quis DVF, s del. Fm. 2 cui N;

quoi 3, 13, 53 „ qui DFV cui N;

quoi 3, 23, 1 „ V mg. m. 2 qui DVN cui F;

quoi 3, 18, 15 „ V mg. m. 2 quae DV, cui NF;

quoi 3, 18, 22 „ qui DV unde quoi ego: Baehr. adnot. cui NFVm 2;

quoi 4, 8, 27 coni. Baehr. ex que vel quae DV quos F;

quoi 4, 11, 15 Baehr. qui O cui Fm. 2 V corr. N;


quoilibet 5, 5, 38 Baehr. quilibet O quidlibet Fm. 2 N.

Quibus quidem locis examinatis non absurdum videtur conicere, in archetypo, ex quo profecti sunt libri mss. NAFDV, priscam in his pronominum formis scriptis orthographiam extitisse, praesertim cum duarum membranarum integra fide quattuor documenta sint servata.

Hanc vero vetustissimi codicis scribendi rationem cum satis mihi persuasum sit a librario codicis N cum diligentia atque constantia suae aetatis orthographiae fere ubique accommodatam esse, Baehrensio auctore, si quam sincerissimam archetypi amissi imaginem repraesentare volumus, in locis certe, quos commemoravimus, unice libris FDV fide habita restituenda est genuina scriptura: quoius, quoi.

Nam quod Luc. Müllero (praef. ad. Catull. pg. XIII: scripsi ubique quoi etc. etiam contra libros) in Catulliano

[1]) Leguntur in membranis Groninganis formae quoi 2, 4, 15 (cet. omni cui); 4, 7, 34 (cet. cui); 3, 24, 3 cons. codd. D V. G. Grumme, De codicibus Propertianis, Groningano et Neapolitano; Aurich 1868, pg. 12.



textu ad archetypi exemplar restituendo vel adversus optimorum librorum mss.[1]) auctoritatem sicut Lachmanno, Schwabio, ceteris Veronensis poetae editoribus visum est, id in Propertianis, quibus apertissima testimonia subveniunt, carminibus recensendis nonne maiore etiam cum probabilitate restituemus?

Denique hoc loco non alienum est adnotare ab antiquissimis iam temporibus saepenumero simplicem q litteram pro qu vel c.[2]) sequente u scribi solitam esse. Cf. Prob. pg. 119, 5. Vel. Long. VII, 59, 12: in equo V pro consonante posita erit; et auribus quidem sufficiebat ut equus per unum u scriberetur, ratio tamen duo exigit. Cf. Corssen.[2], I, pgg. 68, 71 sq., Schuchardt., II, pgg. 142, 483 sqq., Brambach., pgg. 224 sq., 230 sq. De scripturis relicus, reliqus, relicuus cf. Kritz., ad Sal. Cat. 3, 5 pg. 21 et ad Sal. fragm. 3, 77, 2; Freund., ad Cic. Mil. pg. 31 sq.

Quam scribendi consuetudinem cum L. Müllerus 4, 13, 64: secundum N cod. equm (ceteri equum) in editione adoptaverit, sane non video, cur inconstantiae crimen subiens 5, 3, 36 equus scripserit contra apertissimam eiusdem codicis scripturam: equs.

Sequitur iam in perlustrando Propertianorum librorum mss. orthographico genere disputatio de ea scribendi consuetudine, qua si labialis m et dentalis t vel s concurrunt, litteram p insertam videmus. Quem usum, qui sane ut elocutioni subveniatur latissime patet[3]), prisco iam sermoni tribuendum esse, ex inscriptionibus, antiquissimis linguae monumentis, et ex grammaticorum testimoniis satis ad-

[1]) Exhibent omnes Catulliani libri mss. aut cui aut qui aut tale quid, nullo loco puram atque genuinam scribendi rationem vetustissimi codicis. Cf. Haupt., quaestt. Catull. pg. 93; Reeck, pg. 11. — Vergilius contra ubique recentius scribendi genus frequentasse videtur. Cf. Wagner, orthog. Verg. pg. 452.

[2]) qur C. J. L. I, 1454; qura C. J. L. I, 1006; qum C. J. L. I, 1230 a. 710.

[3]) Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, herausgegeben von Haase, 1839 § 282.

paret[1]). Nec minus nostri poetae codicibus, ut plurimorum et nobilissimorum aureae aetatis scriptorum[2]), hanc a maioribus traditam scribendi rationem diligentissime servatam esse locis ex his perlucet:

absumptum	4,	10,	10	alib.
consumpto	3,	16,	9	„
contempto	1,	5,	13	„
dempta	3,	25,	19	„
empta	3,	20,	25	„
sumpsi	5,	11,	97	„

et quae sunt in elegiis frequentissima eiusmodi exempla, ubi omnium codicum auctoritate antiquior per p scriptura firmatur.

Atque ex analogia talium formarum patet etiam inter m et n, ubi nec elegantioris nec suavioris pronuntiationis ratione postulata videtur, litteram p saepius se insinuasse, velut in

alumpnus c. cas. 5, 1, 37 NF; 5, 2, 9; NF; 5, 3, 67 NF alib.
colūpna 5, 7, 83 NF colūpnas 4, 11, 19 NF;
contempnet 1, 4, 23 NAF;
contempnas 1, 7, 25 NAF; 2, 5, 29 NF;
dampno c. cas. 1, 4, 25 N alib.
sollēpnia 3, 33, 1 N sollemnia cet. sollempnis acc. 5, 1, 16 N;
sompnus 1, 16, 22 NA sōpno 1, 3, 25. NA sompnum 1, 3, 41 AF alib;
autūpnalia 5, 2, 15 F;
tolūpni 5, 10, 23 F tolumni cet.

1) emptum C. J. L. I, 579 c. 1.; sumpsit C. J. L. I, 200, 2 simil. Terent. Scaur. VII, 21, 1; Priscian. VIIII 20 = I pg. 462, 11; X 37 = I pg. 528, 5; 38 pg. 529, 9; XI 36 = I pg. 572, 10. Huc referendum est quod exposuit Brambachius, l. l, pgg. 248—250 Cf. Corssen², I, p. 122.

2) De Vergilii usu cf. Wagner, orth. Vergil. pg. 461, Ribbeck., prolegg. ind. gramm. pg. 441. — Catullianorum libb. mss. talium formarum frequentiam explanavit Reeck, l. l., pg. 39.

Quam orthographiam imprimis NAF codicum fere omnibus eiusmodi locis usurpatam siquis non e posteriorum librariorum vulgari pronuntiandi consuetudine sed ex ipsa Propertianae aetatis lingua in libros manu scriptos fluxisse opinatur: qui tandem factum dicet, ut, quo qui ad vetustatem propius accedit codex, eo illius orthographiae exemplarium minus, eo autem plus praebeat, quo remotior eius aetas cognoscitur ab antiquitate [1])?

Hanc igitur talium formarum frequentiam codicum NAF cum satis mihi persuasum sit nequaquam archetypo, nedum ipsius poetae dicendi consuetudini, sed vulgari medii aevi Italorum latinitati deberi [2]), ubique si modo quam verissimam amissi vetustissimi libri effigiem animo concipere volumus, nativas formas mss. DV consensu traditas in Propertii verborum ordinem recipiendas existimamus: alumnus, columna, contemnere simil.

At fateamur licet ne archetypum quidem his, quae commemoravimus, vulgaris linguae vestigiis prorsus caruisse,

[1]) Cf. Corssen [2], I, 123: Erst in der spätlateinischen Volkssprache ward p auch als Vermittelungsvokal zwischen m und n eingeschoben in:

dampnum	columpniare
contempnere	alumpnus
sollempnibus	columpna u. a.

Die Inschriften wahren seit der Zeit der Gracchen bis in die späte Kaiserzeit die Schreibweisen:

damnei C. 1. L. I 577, c. 2 alumno, or. 4800 etc. Cf. Ritschl., Prol Trin., p. CII sq. — Schuchardt, l. l., I, pg. 149: Die Einschiebung des p zwischen m und s und m und t ist weit älter, als die zwischen m und n.

[2]) Schuchardt, l. l. I., pg. 149: Im späteren Mittelalter sind dergl. Schreibungen äusserst gewöhnlich. Provenzalisch colompna, dampnar, dompna (dompnus Mar. pap. dipl. XXVIII. XXX. LXXI und oft) sompniar. — Contigit viro docto atque diligentissimo ut octo tantum (pg. 149) illius scripturae documenta in vetustissimis libris manu scriptis inveniret. — Quare haud scio an non satis pensitata sit L. Mülleri sententia praef. ad Prop. pg. XV prolata talia in vetustissimis libris saepe occurrere. Quod quam inconsiderate sit propositum, praeterea evincitur ex Ribbeckii, prolegg. Verg. ind. gramm. pg. 441, Verg. vetustissimorum codicum collatione, in qua perpauca eius modi exempla reperiuntur.

tamen non ei indulgendum est morositati et absurditati, propter quam Ritschelius vituperatur a Schuchardtio, I, pg. 149 [1]) et a Corsseno², I, pg. 123, cum vel in Plauto, a cuius aetate talis scribendi ratio prorsus abhorret, formas velut: dampnum, contempnit, antempna probaverit. (cf. Prol. Trin. pg. CIII sq.)

Nec assentiri possumus Ribbeckio, qui cum ceteris eiusmodi locis in Vergilio recensendo scripturam sine p receperit, tamen ge. IV 104 vetustissimi sane Vaticani (F) codicis auctoritate nisus formam „contempnunt" admittere non dubitavit.

Ac ne Vergiliana quidem aetate istam orthographiam in usu fuisse clarius est, quam ut uberius demonstremus. Certis enim et inscriptionum illorum temporum et grammaticorum fundamentis caret, qui, cum iis ignota esset p littera inter m n posterioribus demum temporibus vulgari lingua inserta, cur omnino de illa scribendi consuetudine non disputent, in promptu est videre.

Praeterea ab hac quaestionis parte non alienum duco monere, in verbo temptare, qualis est firmata sane ipsius vetustatis documentis [2]) ubique scriptura codicis N, in libris mss. D V:

tentare 1, 3, 15; 3, 12, 19; 19, 21;
tentatur 1, 4, 25
tentat 2, 3, 19; 3, 34, 73 (etiam F)
tentata 4, 21, 5 (etiam F)

scribendi rationem constantissime exhibitam esse. Quam solam legitimam esse cum ipsorum codicum D V in hac orthographiae parte auctoritate evincitur, tum perspicue Corssenus², I, pgg. 122 sq. [3]) docet, cum verbum, de quo

[1]) Mit mehr Recht schreiben die Herausgeber des Prudentius alumpnus, columpna, dampnum, sompnus.

[2]) temptatae, Zwei Sepulcralr. Mommsen, l. Tur. I, 13. temptaverit, Or. 4425. 4428.

[3]) Pg. 123: Man verwechselte das Participium — temp-tus von tem-n-ere und das Participium ten-tu-s von tend-ere. Marius Victorin. VI, 21, 15 reicit orthographiam temptat, probat scripturam

disputamus, derivandum sit a participio: tentus verbi tendere, scribendi rationem: tentare ut primitivam sibi maxime probabilem esse.

Itaque cum non absurda mihi videatur sententia, formam: temptare et quae inde derivantur, ubi codicibus N F traditur, quorum quam dubia fides sit in littera p vocabulis inserta ex exemplis colligi licet supra allatis, Italorum librariorum, qui suae aetatis communi scribendi consuetudine libentius acquiescebant, soli arbitrio tribuendam esse, contra Luc. Müllero cum constantia adoptatam orthographiam: temptare, omnibus in Propertianis eius modi locis scriptura: tentare [1]) restituenda est, quam Baehrensius mirum in modum singulari tantum loco 3, 34, 73 consentiente etiam lib. F probavit. An tantum ei valet loco laudato solius F codicis auctoritas, cuius rursus lectionem 4, 21, 5 (tentata D V F, temptata N Baehr.) perinde ac ceterarum membranarum omnino ab eo neglectam videmus?

Antiquioris deinde suffixi „undo“ ex „ondo“ prisco profecti, quod una cum recentiore in — endo usque ad Ciceronis aetatem frequenter usurpatam esse ac ne posteribus quidem temporibus prorsus evanuisse inscriptiones indicant atque grammaticorum testimonia [2]), singulare apud Propertium legitur exemplum:

petunda 5, 1, 108 D F a Baehr. in text. rec petenda alt. e in ras. N V.

temtat, ex qua quam facile temptat proficisci potuerit satis perspicuum est. — Cf. Bentl. in Phorm. III, 3, 19; Ritschl, Prol. Trin., pg. CII.

[1]) Consentientibus vetustissimis Vergil. libris manuscriptis exhibetur: intentare Aen. I 91; VI 572; retentat Aen. V 278. Cf. Ribbeck., prolegg. ind. gramm. pg. 441.

[2]) Ut SC de Bacchan. a. p. u. cond. 568 (P. L. M. E. XVIII = C. J. L. I, 196, 3) recentior iam orthographia „exdeicendum“ cernitur, ita rursus in Lege repet. a. 631 vel 632 (P. L. M. E. XXIII = C. J. L. I, 198, XXXI) priscae scribendi rationis specimen exaratum exstat: deicundo. — Cf. Prob. pg. 119, 7: sunt vocabula, quae e litteram et in u litteram convertant, ut puta capiendus et capiundus et cetera talia. — Contra Mar. Victor. VI, 10, 23: agendum

Praeterea etsi reperiuntur petenda 1, 10, 9 (omn. codd.); petendus 4, 22, 40 (omn. codd.), facienda, capienda simil. [1]), gravissimo tamen testimonio librorum mss D F supra allato satis existimo indicatum, ne hoc quidem priscae orthographiae genere librum vetustissimum caruisse, quam sane librarii medii aevi, id quod alibi statuendum erat, in vulgarem suae aetatis passim commutaverunt. Vetustatis vero sola, si quis proponat, recordatione locum 5, 1, 108: petunda ex ipsius archetypi vel recentiore scriptura a librariis codicum D F in antiquiorem demum transformatam esse, eius sententiam propterea prorsus reici licet, quod, ut nullo alio loco tale studium cernitur, frequentissimus est librariorum in formis eiusmodi scribendis recentioris orthographiae usus.

Jam, quoniam inter se discrepant editiones Mülleriana et Baehrensiana, proximam instituamus quaestionem, utra scribendi ratio monimentum an monumentum in Propertii carminibus magis sit probanda.

Ac primum ante Augusti aetatem scripturam recentiorem iam viguisse testantur inscriptionum exempla: MONIMENTUM: C. J. L. I, 1014, 1015 = P. L. M. E t. LXXXVIII B C; C. J. L. I 1105 = P. L. M. E. t LIX A. MONIMENTO C. J. L. I, 1258, 1393 = P. L. M. E. t. LIXF; LXXVIII F. (Cf. Corssen.[2], I, pg. 333)

Quae illius aetatis scribendi ratio firmatur testimonio Cornuti apud Cassiod. VII, 150, 11: Terentius Varro tradidit Caesarem per i eius modi verba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam. sed ego in antiquiorum multo libris, quam

caedendum, capiendum faciendum per e potius quam per u. Quo praecepto vir grammaticus id egisse videtur, ut in tanta inter utramque scripturam fluctuatione certa denique scribendi ratio firmaretur. — Praeterea cf. Weissenborn., De gerundio et gerundivo lat. linguae, Isenaci 1844. — Corssen, Krit. Beiträge, pg. 120 sq. — Brambach, l. l. pg. 106 sq. — Neue[2], II, pg. 346 sq.

[1]) De gerundii et gerundivi frequentia in Propertianis elegiis cf. Frahnert, l. l. pgg. 2—4.

Gaius Caesar est, per u pleraque scripta invenio, optumus intumus pulcherrumus lubido dicundum faciundum maxume monumentum contumelia minume. melius tamen est et ad enuntiandum et ad scribendum i litteram pro u ponere, in quod iam consuetudo inclinavit.

Nec tamen posterioribus temporibus homines litteratos ad unam omnes scribendi normam se accommodasse, sed vetustatis recordatione quadam lubentius in verbis eius modi scribendis redintegrasse priscam orthographiam ex testimoniis adparet grammaticorum Vel. Long. VII, 50, 5: et concedamus talia nomina per u scribere iis qui antiquorum voluntates sequuntur, ne tamen sic enuntient, quo modo scribunt; Terent. Scaur. VII, 24.; Cornut. ap. Cassiod. l. l.; Mar. Victorin. VI, 10, 25, qui contra tale studium commendant recentiorem scripturam per i.

Quae etsi in superlativorum formis omnibus omnium Propertianorum librorum mss. locis exhibetur, tamen ubique in Baehrensianis codicibus scriptura legitur:

monumenta 4, 2, 16; 4, 11, 59; 4, 11, 61; 5, 6, 17; 5, 6, 67; 5, 7, 43,

a Baehrensio in textum recepta, ubi in membranis Neapolitanis recentior per i scribendi ratio exstat ea quam L. Müllerus in editione secutus est.

Et hoc quidem concedendum est, si revera in orthographico saltem genere tantam illis codicibus auctoritatem tribuimus, quanta in universum Baehrensio videbatur, priscam istam orthographiam propter summum librorum mss. F D V consensum ex archetypo potius in codices illos profectam esse, quam e librariorum quodam commutandi studio, quod de Neapolitano potius libro, ut alibi, ita hoc loco veri simile est.

Cum vero ex testimoniis supra allatis clarius pateat ipsius Propertii aetate recentiorem scripturam: monimentum iam latius in usu fuisse nec pauca in aliis vocabulis priscae orthographiae vestigia vel apertissima documenta codicibus, quotquot nunc exstant, servata perlustraverimus, non alienum videtur suspicari altero post Christum saeculo

Frontonis fere aetate [1]), quo passim redintegrabatur prisca scribendi consuetudo, librum etiam, ex quo nostri codices derivandi sunt, ad vetustiorem orthographiam revocatum esse [2]).

Praeterea omittendum non videtur, quod omnium Propertianorum librorum mss. auctoritate nititur scriptura constantissime adoptata: iocundus:

iocundis	1, 2, 29	Keil., L. Müll., Baehr. (iucund.: Hauptius).
„	1, 3, 45	
iocunda	1, 10, 1	
„	1, 10, 3	
iocundae	1, 19, 7	
iocundum	3, 12, 17	

et rutunda 5, 7, 61 L. M. Baehr. ex: ut unda NDV
rotunda: Keilius, Hauptius.

Quam utriusque vocabuli orthographiam non tam rustico posteriorum temporum sermoni, quam ipsi aureae aetati tribuendam esse collatis cum diligentia vetustissimis linguae monumentis (II, pgg. 141, 179, 183) Schuchardtio visum est I, 39: Formen, wie rutundus, lucusta, iocundus, sind so gut bezeugt, dass ich mich schwer überreden kann, sie seien bloss rustik gewesen. Und gewiss verdienen noch sehr viele Schreibweisen, welche bei uns sanktionirt sind, in Betreff ihrer Klassizität eine Prüfung durchzumachen.

Cui tamen sententiae si obiecerimus haud pauca vilioris Vergil. codicis Bern. (cf. Ribbeck. prolegg. ind. grammat. pg. 437 adnot.: iocundus c. Aen. VI 363 et saepius sine dubio) considerantes nihil eius modi omnino exstare in

1) Cf. Vel. Long. l. l. VII, 50, 5; Brambach, pg. 109.

2) Quod cum Luc. Muellero, praef. ad Catull. pg. XII, summa cum probabilitate visum sit de Catulli vetustissimo libro, inde nostra de Propertii archetypo coniectura, cum fuerit eiusdem generis poesis studiosus poetaeque Veronensis fere aequalis multum adiumenti nanciscitur, praesertim cum codices Catulli eiusdem fere aetatis et condicionis ac Propertii sint atque, si Hauptii, Quaestt. Catull. pg. VII, coniecturam sequimur, Catulli Tibulli Propertii carmina illo antiquo codice una comprehensa fuisse veri non dissimile sit.

vetustissimis, et frequentissima [1]) Catullianorum librorum mss. illius orthographiae documenta, non iniuria haesitabimus, utrum ad archetypum, an ad pravam potius Italorum elocutionem spectet ea quam de Propertianis codicibus memoravimus scriptura verborum: iocundus, rutundus.

Atque ut in longe plurimis, quos medium aevum tulit, Italorum codicibus summa fluctuatio cernitur in aspiratione adversus nostram consuetudinem vocabulis passim adiecta vel detracta, ita Propertiani libri manu scripti quantis eius modi difficultatibus artis criticae infecti sint, nova et diligentissima Baehrensianae editionis collatione cognoscitur.

Nobis quidem eo iam spectantibus, ut codicum Propertianorum orthographicum genus, quoad fieri potest, ad archetypi normam et inde ad ipsius poetae aetatem refingatur, summi momenti esse debet locus Quintil. I, 5, 19—21, ubi quam brevissime totus aspirationis usus cum variis permutationibus usque ad primi p. Chr. saeculi finem perlustratur. Sed cum satis notum sit aspirationem nec ante Quintilianum nec postea umquam strictis grammaticorum legibus stabiliri potuisse, sed suo quemque arbitrio vel vulgari suae aetatis latinitati aliquantum indulsisse, facile intellegitur, qui fieri potuerit, ut imprimis in recentioribus [2]) Italae originis libris mss. tam insolens et ab ipsius scriptoris non solum, sed etiam archetypi saepenumero aetate aliena aspirandi ratio exhiberetur [3]).

[1]) Reeckius, l. l., pg. 45 apud Catullum consentientibus libris haec collegit exempla scripturae: iocundus c. cas.: VIIII, 9; XIII, 2; XXXXVI, 3; L, 16; LXII, 26; 47; LXIIII, 161; 215; LXVI, 82; LXVII, 1 bis; LXVIIIa, 16; CVIIII, 1.
Cf. Corssen², II, 369. — Lachmann. Lucr. I, 18; III, 1031.

[2]) De Catull. codd. in aspiratione fluctuatione videnda quae exposuit Reeckius, l. l. pg. 41 sq.

[3]) Cf. Schneider, I, 179 sq. — Corssen.², I, pgg. 46 sq., 96—113. Schuchardt. I, pg. 73 sq. — Brambach., pgg. 282 sq. 314. Pg. 282: Die Unklarheit in der Aspiration griff gegen das Ende der Kaiserzeit schon stark um sich und hat eine unglaubliche Verwirrung in den mittelalterlichen Handschriften verursacht. — pg. 287: Die Aspiration der Consonanten beginnt mit dem Jahre 650 d. St., schwankt bis zum Beginn des 8. Jahrhunderts und ist von da an feststehend. (Ritschl P. L. M. E. pg. 124).

Quod quam late pateat in Propertianis codicibus iam ita sub conspectum ferre liceat, ut primo locos maxime memorabiles componamus, ubi littera h contra communem et primitivum usum initiis vocabulorum vel adiuncta vel detracta est.

I., a., h addita initio vocabulorum vocali incipientium:

haretusa 5, 3, 1 F harethusa N pro aretusa DV;
hauster 3, 16, 56 DV;
hausteri 4, 14, 24 N;
heburno 5, 2, 5 F;
helis 1, 8b, 36 0 pro Elis N;
hismara 4, 12, 25 DV pro Ismara cet.;
hismaria 3, 16, 6 DF hysmaria V hismarias N pro Ismaria L. M., Baehr.
hiphicli 2, 4, 8 F pro Iphicli;
hyasidos 1, 1, 10 V pro Jasidos;
honerare 4, 9, 26 0 pro onerare N;

honusta 3, 14, 30 al. NO (a L. Müllero in textum rec., onusta: Baehr.) cf. Ribbeck. prolegg. Verg. ind. gramm pg. 421: honustus γ2bc, Serv. ad Aen. I 289: sic „veteres" auctore Gellio II, 3.

hora (pro ora) 1, 8, 15 A F ora Vmg. m. 2; horis 1, 8, 25 AF; hora 1, 20, 9 A; horis 1, 20, 15 AF; 3, 10, 17 N; 3, 26, 43 NF; hora 4, 1, 24 F; 5, 1, 122 F; Cf. Ribbeck. prolegg. Verg. ind. gramm. pg. 421: hora (= ora) Pa ecl. VIII 7; P ge. IIII 39; M. 292. — Corssen.², I, pg. 110 sq. horestem 3, 14, 5 F DV pro Oresten N.

humerus 1, 20, 44; 3, 26, 4 alib. NAFDV cf. Luc. Müller. praef. ad. Prop. pg. XV de cod. N: Scribitur bis terve umerus, sed saepius longe humerus. — Fleckeisen, 50 Artikel etc., pg. 31. — Curtius, gr. Etym. pg. 487. — Ribbeck. l. l. pg. 421: humerus saepe in γabc.

b., h omissa initio vocabulorum vocali incipientium:

arena 1, 8, 11 DF; 1, 17, 8 AF har. DV; alib. (probabilior scriptura: harena saepius cod. N). Aspiratam formam probant Charisius 103, 21; Mar. Victor. VI, 22, 1; Eutych.

ap. Cassiod. VII, 201, 20; Vel. Long. VII, 69, 4[1]); 81, 3. In medio relinquit Serv. Verg. Aen. I, 172. Cf. Ribbeck., l. l. pg. 422.

arundine 3, 27, 13 N O Luc. M., Baehr.; 3, 64, 68 Baehr. har. N L. M.; 5, 2, 33 0 Baehr. har. N Luc. M.; 5, 7, 25 0 Baehr.; har. L. Müll. — Aspiratam scripturam commendant Eutych. ap. Cassiod. VII, 201, 20; Agroec. VII, 122. Prob. append. 198, 33. Cf. Ribbeck., l. l. pg. 422. — Corssen.² I, pg. 107.

edera 4, 3, 35 V Cf. Ribbeck. l. l. pg. 422: edera MPc ge. II 258, PVI ecl. III 39; P Aen. VII 38, cIII 19. Aspiratam formam: hedera 5, 1, 62 omn. codd. probat Terent. Maur. VI, pgg. 331, 348. Eutych. ap. Cassiod. VII, 201. Cf. Corssen.², I, pg. 107.

edus 3, 26, 56 F aedus DV pro Haedus L. M., Baehr.

elena 2, 1, 50 F; 3, 34, 88 F, helena cet.

elicona 3, 10, 1 FDV pro helicona N;

iantis 4, 16, 17 F;

ibernos 2, 7, 18 F;

ile 1, 20, 6 F yle A pro Hylae Luc. M., Baehr.

irsutas 1, 1, 12 FV hirs. Vm. 2: irsuta 5, 1, 61 F; irsutis 5, 4, 28 F;

ippodamia 1, 2, 20 Nm. 1. yppod. A ypodamia F;

ortis 4, 21, 26 FDV pro hortis N;

yatus 1, 15, 24 F;

yemis 2, 12, 32 F;

ypanis 1, 12, 4 F;

ystoria 1, 15, 24 F;

Aspirationem commendat ante y Terent. Scaur. VII, 22, 17, omitti iubet Cornut. ap. Cassiod. VII, 153, 11, in medio relinquit Vel. Long. VII, 81, 3. Cf. Brambach., l. l. pg. 285.

[1]) Vel. Long. VII, 69, 4: Nonnulli harenam cum aspiratione, sive quoniam haereat sive quod aquam hauriat, dicendum existimaverunt, aliis sine aspiratione videtur enuntianda. Nos non tam per illas causas, quas supra proposuimus, quam propter originem vocis, si quidem, ut testis est Varro, a Sabinis „fasena“ dicitur, et sicut s familiariter in r transit, ita f in vicinam aspirationem mutatur. — Praeterea cf. Fleckeisen. l. l., pg. 18. — Corssen², I, pg. 107.

testimoniis et praeceptis supra allatis; tum Catulli noto epigr. LXXXIV, quo Arrius quidam a poeta propter talem loquendi morem irridetur:

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et insidias Arrius hinsidias

et extr.:

Jonios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Jonios esse, sed Hionios.

Quare in rebus illis tam ambiguis, quibus ad archetypi imaginem, nedum ad ipsius poetae manum pro certo repraesentandam vix quidquam effici potest, editoribus, si pro tam tristi codicum, quotquot nunc exstant, condicione quam commodissimam carminum formam restituere volunt, aptissimum est, locis compositis et perpensis statuere quaenam scriptura numero praevaleat, cui soli in recensione se applicent: nec vero, id quod Luc. Müllerus et Baehrensius saepius vel contra omnem librorum mss. fidem peccaverunt, sua ipsorum licentia atque arbitrio traditam confusionem maximamque membranarum inaequalitatem etiam augere. Scripsit enim Luc. Müllerus:

harena 1, 17, 8; 4, 3, 23; 4, 11, 35; 4, 14, 17; 4, 15, 33; 4, 16, 29; 5, 6, 83: arenas N; contra

arena: 1, 8, 11; 2, 3, 5; 2, 8b, 33; 3, 25, 7; 4, 7, 26; 4, 18, 3; 5, 8, 76.

Scribitur in editione Baehrensiana:

harena: 1, 8, 11 (aren. NDV!); 4, 7, 26 (aren. NF idemque corr. Vm. 2); 4, 11, 35 (aren. F, Vm. 2); 4, 14, 17 (arenis Volscus athenis FDV (ex arhenis) habenis et F et Vmg. m. 2, N); 4, 16, 29 (arene F); 4, 18, 3 (aren. NDV); 5, 6, 83 (arenas NFVm. 2) 5, 8, 76 (arena NF); contra

arena 1, 17, 8 (harena NDV!); 2, 3, 5 (harena D ≡ arena V); 2, 8b, 33; 3, 25, 7; 4, 3, 23 (har. N); 4, 15, 33 (har. N[1]).

[1]) Item utraque scriptura promiscue exhibetur in editione Keiliana. harena 4, 7, 26; 11, 35; 14, 17; 5, 6, 83; 8, 76; arena 1, 8, 11; 17, 8; 2, 3, 5; 8, 33; 3, 25, 7; 4, 3, 23; 15, 33; 16, 29; 18, 3.

Eiusdem inconstantiae vel contra libros mss. crimen subiit Baehrensius in utraque scribendi ratione adoptanda et humerus et umerus:

humerus c. cas. inde der.: 1, 20, 44; 3, 12. 10; 5, 1, 44; 5, 9, 61; 5, 11, 28.

umerus c. cas.: 5, 6, 40 um.: F hum. Fm. 2 ceteri; 5, 10, 11 um. Fm. 1, humeris NFm. 2 DV.; 5, 10, 47 N humeris ceteri!

Praeterea scripsit editor novissimus:

humore 3, 26, 4 Luc. Müll.: umore; humor 4, 22, 24 Luc. Müll.: umor.

humida 4, 6, 17 Luc. Müll.: umida [1]).

Mihi quidem, ut meam sententiam proferam, in quaestione tam dubia, qua ad certam archetypi imaginem definiendam nihil evinci licet, omnibus elegiarum locis primitiva et unice legitima scriptura iure restituenda videtur: harena, umerus simil., praesertim cum illa haud paucis ipsarum membranarum lectionibus tradatur.

Assentiendum igitur est Luc. Müllero, si minus in utraque scriptura harena et arena promiscue recepta, at certe quod etiam contra libros mss. constantissime usurpavit scribendi rationem: umerus, umor, umidus [2]).

Praeterea similem contra inconstantiam Luc. Mülleri et Baehrensii monendum est in utraque scriptura: sepulchrum sepulcrum, pulcher pulcer aliquando sine ulla codicum fide promiscue in editionibus adoptata.

Quorum nominum in scriptura, quibus constat antiquissimis temporibus sine h exhibitis aspirationem inde a

[1]) Keilius in editione ubique probavit scripturam humerus, humor humida; contra Hauptius eadem cum constantia ubique etiam contra codices adoptavit scribendi rationem: umerus, umor, umida.

[2]) Cf. Corssen.[2] I, pg. 107 sq. adnot.: Umerus ist die handschriftlich allein bewährte Form (Fleck. Funfz. Art. S. 31), etymologisch bestätigt durch griech. ὦμο-ς, Sansk. ạsa-s Schulter (Curt. Gr. Et. n. 487, 2. Aufl.) Nichts desto weniger schleppen sich humor, humidus a. a., humerus noch immer wie eine alte Krankheit fort durch Ausgaben von Schriftstellern, Grammatiken und Wörterbücher.

Ciceronis fere aetate additam [1]), postea rursus aliqua ex parte ademptam esse [1]), non est cur miremur videntes, quantam vel optimi et vetustissimi (Cf. Ribbeck., prolegg. Verg. ind. gr. pg. 424) libri manu scripti ostendant inconstantiam atque fluctuationem.

Propertianis quidem ut tribus potissimum codicibus DVF scriptura: sepulcrum exaratur:

sepulcro 1, 7, 23 sepulchro NA
sepulcra 1, 22, 3 etiam N -chra A
sepulcri 3, 13, 37 etiam N
sepulcro 4, 1, 37 „ „
sepulcri 4, 1, 59 -chri N
sepulcrum 4, 7, 27 -chrum N
„ 4, 16, 23 „ „
sepulcra 5, 1, 88 -chra N
sepulcrum 5, 4, 1 -chrum N
„ 5, 5, 1 „ „
„ 5, 11, 1 „ „

ita singulari libro mss. F constantissime probatam videmus scribendi rationem: pulcer et quae derivantur:

pulcrius 2, 3, 34 N quoque
pulcer 3, 21, 4

[1]) Pulcrum scripsit Varro auctore Charisio 73, 17: pulchrum Varro aspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio, quod minime rectum antiquis videbatur. — Veterum morem etiam Cicero se secutum testatur orat. 48, 160: Quin ego ipse cum scirem ita maiores nostros locutos esse, ut nusquam nisi in vocali adspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegum, triumpos, kartaginem dicerem, aliquando, idque sero, convicio aurium, cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi. — Cf. Gell. II, 3. Eandem scripturam commendat Terent. Scaur. VII, 20, 4. — Contra scribendi ratio PULCHER occurrit in nummo a. U. 650, C. J. L. I, 380. Aspirationem praeterea probant Prob. Cath. 14, 28; Santra ap. Ter. Scaur. VII, 20, 7; Vel. Long. VII, 69, 16; Mar. Vict. VI, 21, 24; Caper de orth. VII, 93, 2: Pulchrum cum h scribendum, sepulcrum sine h. — Huc referenda quae monet Serv. ad Verg. Georg III 223. Tria habebant nomina, in quibus c litteram sequeretur aspiratio: sepulchrum, orchus, pulcher, e quibus pulcher tantum hodie recipit aspirationem.

pulcerrima 3, 25 1
pulcra 3, 26, 21 N
„ 3, 28, 50 N
pulcrior 3, 31, 5
(-chrior codd. praeter F adnot. Baehr.)
pulcros 4, 15, 13 pulchros ceteri
pulcerrima 4, 22, 39,

ubi ceteri codices aspirationem prae se ferunt perpaucis exceptis locis libri N, de quo cf. Luc. Müller., praef. ad Prop. pg. XV: legitur in illo pulcher, pulcherrima, sed sequente statim r omissa aliquando h.

Verum in hac re, de qua iam antiquis temporibus dubitatum est, si perpendimus, cum utrumque scribendi genus in carminibus Propertianis ad eam, quam pro tam recentis aetatis codicibus par est, perfectionem revocandis nullo modo probandum sit, ex utriusque scripturae exemplorum numeris collatis non absurdum videtur proponere, aspirationem, ubi in voce sepulchrum occurrit, Italorum librariorum arbitrio esse insertam, librum vero archetypum scripturam: sepulcrum a Capro l. l. et Servio l. l. commendatam habuisse, praesertim cum tres libri manu scripti DVF in hac consentiant nec codicem N deficiant illius orthographiae apertissima documenta: 1, 22, 3; 3, 13, 37; 4, 1, 37.

Quod num etiam de scriptura „pulcer" statuendum sit, propter tantam codicum fluctuationem atque inaequalitatem in medio relinquimus, ne forte singularis libri mss. F, cuius quam dubia fides sit in aspirationis ratione ex exemplis adparet supra allatis, et perpaucorum codicis N exemplorum auctoritate nisus nimis audacter coniectandi crimen subeamus.

At ea certe hoc loco non probanda est inconstantia, qua Luc. Müllerus, cum sepulcro 1, 7, 23 (contra sepulchro NA!); sepulcra 1, 22, 3; sepulcro 4, 1, 37 in editione adoptaverit, tamen reliquis omnibus eiusmodi locis scribendi rationem: sepulchrum probavit. Idem adversus Baehrensi-

anam editionem licet monere, qua etsi exhibetur duobus locis sola F cod. fide:

pulcrius 2, 3, 34 FN Haupt.; pulcra 3, 26, 21 FN Haupt.: 3, 28, 50 FN; Haupt.

pulcrior 3, 31, 5 sol. F Haupt.; pulcros 4, 15, 13 sol. F Haupt., tamen

summa cum inconstantia contra F lib. ms. scriptae exstant formae: pulcher 3, 21, 4; pulcherrima 3, 25, 1; 4, 22, 39 secundum N D V.

Certa igitur in tam ambiguis rebus, ne membranarum confusio vel contra ipsarum testimonia etiam augeatur, scriptura censeo editoribus esse utendum aut pulcer ant pulcher, aut sepulchrum aut sepulcrum [1]), id quod Luc. Müllero in vocabulo saltem: pulcher et qu. der., Baehrensio in vocabulo: sepulcrum constantissime talis scripturis exhibitis visum est.

Cum mihi in hoc libello propositum esset in Propertiani archetypi scribendi rationem quam possem diligentissime inquirere, iam praetermittendum silentio non videtur, adv. numeralia totiens, quotiens [2]) consentientibus omnibus libris mss. ubique tali scriptura exarata esse, nusquam formas recentiori consuetudini maxime probatas: toties, quoties. Cf. Corssen.[2] I, pg. 252 sq.

Ut vero cognoscatur, quanta cum constantia haec antiquioris rationis orthographia in Propertianis carminibus observata sit, en loci sane frequentissimi:

totiens: I, 5, 21; 9, 21; II, 1, 1; III, 15, 45; 18, 18; 22, 6; 28, 6; 37; 33, 5; IV, 11, 34; 19, 1; 24, 7; V, 3, 2; 8, 27.

quotiens: I, 3, 28; 5, 13; 10, 4; 16, 43; 18, 21:

[1]) Eandem rationem probavit Keilius in editione, qua cum constantia ubique scriptura: sepulcrum c. cas atque pulcher et quae nde der. adoptata est. Item legitur in editione Hauptiana ubique sepulcrum, pulcher, pulcherrima, sed sequente statim r littera h omissa est, velut pulcrius 2, 3, 34; pulcra 3, 26, 21; simil. aliis locis.

[2]) Cf. Ritschl., Prol. Trin., pg. CIII.

II, 1, 27; III, 16, 56; 17, 3; 23, 5; 19, 27; 24, 4; 33, 11; IV, 7, 27; 15, 13; 15; V, 7, 17.

Quas formas non librariorum studio quodam antiquitatis, sed ipsi archetypo et Propertiano stilo tribuendas esse, luculentissime cum adparet ex constantissimo omnium codicum concentu, tum ex Monumento Ancyrano (C. J. L. I, pg. 769—799; Cf. Mommsen ad Mon. Ancyr. pg. 176), quo omnia numeralia per-ns scripta exstant, qualia quotienscumque, deciens, viciens, milliens, simil. Huc referendus est locus Mar. Victorin. VI, 24, 23 sq.: adverbia cum n scribenda, quotiens deciens totiens et similia per numerum.

Hanc tamen scribendi consuetudinem non in omnibus adverbiis numeralibus sed in totiens quotiens tantum servatam esse testatur Caper de orthogr. VII, 95, 8: omnia adverbia numeri sine n scribenda sunt, ut milies centies decies; quotiens totiens per n scribenda sunt. Praeterea cf. Priscian. II, 77, 15; 78, 22; 88, 17; de fig. numerorum II, 415. — Brambach., l. l., pg. 269.

Quae cum ita sint, non est, cur miremur cum videamus omnium codicum fide legi:

decies 2, 4, 26

cuius formae orthographiam perinde ac totiens quotiens de testium supra allatorum auctoritate ex ipso archetypo profectam esse confido.

Deinde litteram n saepenumero et mediis in vocabulis et in eorum exitu ante s adversus expolitiorem normam rustico sermone se insinuasse, exemplis ipsius antiquitatis evincitur a Schuchardtio I, pg. 112 diligentissime compositis. Quibus conferas velim similes locos Verg. codicum in Ribbeckii ind. gr. pg. 434 accuratissima arte collectos et sub conspectum positos quales Agragans M, Aen. III, 703; Pallans Vg.2 Aen. VIII, 104; flectens M, ge. IIII, 399; formonsus APRb, ge. III, 219 al. simil., ex diversis sane etymologiae legibus profecti. Cf. Corssen.[2] I, pg. 255.

Ex nostri quidem poetae codicibus inter eas referendae sunt formae:

eriniens 3, 20, 29 F alt. n suppunct., erinies N herynides D erynides V, Erinyes L. M., Baehr.

inmittens 4, 15, 14 N immittens F ĩmites V immites D.

Luc. Müll.: molliaque inmittens fixit in ora manus.

Baehr.: molliaque inmites etc.

titiens 5, 1, 31 N ticiens V ticiens F taciens D Titiens: omnes recent. editores praeter Lachmannum:
Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni.
Cf. Varro, L. L. 5, 9, 55. — Lachm. comm. Lucret. pg. 280 ad Termenses.

Atque hoc quidem iam constare puto, si quis omnia quotquot huius generis exstant antiquissimorum Vergil. codicum exempla consideraverit, ei certe non alienum visum iri a veritate, ex ipso vetustissimo Propertiano codice ab Italis librariis relicta esse illa, quae modo composuimus, insolentioris orthographiae exempla.

Hinc, quoniam instituta est quaestio de littera n, transeamus ad eam et pronuntiandi et scribendi rationem, qua, si litterae mn congruunt, n consonam saepius, sane ut pronuntiationi subveniatur, elisam videmus.

Quam orthographiam ipsi antiquitati tribuendam esse Ritschelius, mus. Rhen. tom. XII, „Plautinische Excurse," pgg. 111, 115 ita exposuit, ut statueret, formam Clutemestra scripsisse Livium Andronicum, Cloetemestra Attium, Clytemestra[1]) Ausonium, quam sententiam recensuit Ribbeckius, Fleckeisen. annal. tom. LXXVII, Ritschl's Forschungen zur lat. Sprachgeschichte, pg. 195. Cum vero ipse Ritschelius, gravissimus latinitatis investigator, l. l. pg. 111 dicens: Auch beim auctor ad Herennium 1, 16, 26 geben gute Bücher Clytemestram, und vielleicht noch sonst hie und da, wenn man erst darauf achten wird, commendare videatur, ut eiusmodi scripturae, ubicunque in codicibus

[1]) Cf. Graecae linguae utramque usitatam scribendi rationem *Πολυμήστωρ* et *Πυλυμνήστωρ*: Lobeck., pathologiae graeci serm. prolegg., pg. 168 sq — Praeterea cf. Fleckeisen., 50 Artikel etc., pg. 13. — Corssen.[2], I, pg. 259. —

exhibentur, gravissimae quasi antiquioris rationis reliquiae in lucem producantur, in his quaestionibus orthographicis operae certe pretium est, quae talis scripturae exempla in Propertianis codicibus reperiuntur, omnia iam componere:

clitemestre (-re N) 4, 19, 19 NF clytemnestrae DV Clytaemnestrae Lachm. Hertzbrg., Keil., Haupt, Clytæmestrae Luc. Müll., Baehr.

clytemestre 5, 7, 57 N clitemestre F clytemnestrae D.V Clytaemestrae Luc. M, Baehr.

hypermestrae 5, 7, 63 NDV ipermestre F, Hypermestre Luc. M., Baehr.

hypermestrae 5, 7, 67 NDV ipermestre F Hypermestre Luc. M., Baehr.

Praeterea hoc loco notanda est Luc. Mülleri observatio de scriptura codicis Groningani praef. pg. XLIV ad V, 7, 57, 58: Ceterum ut obiter hoc notem ubique N habet Clytemestra, Hypermestra. Ita et G praeter hunc versum.

Quare cum 4, 19, 19; 5, 7, 57 duo NF, 5, 7, 63; 5, 7, 67 omnes NFDV codices in scriptura sine n consentiant, ex ipso archetypo eam in nostros libros mss. profluxisse probabiliter suspicamur.

Frequentius deinde rusticae linguae usu littera s eici solebat et mediis in vocabulis et in eorum exitu. Cf. Corssen.², I, pg. 294 sq. Qui omittendi usus, quem veteres poetae [1]) saepe numero metri certe caussa adoptaverunt, ex elegantiore tamen atque expolitiore sermone magis magisque evanuit, ut Ciceronis iam temporibus „subrusticus“ putaretur, (Cf. Cic. or. 48, 161) quamvis ipse in Arateis, quae adulescens sane et prius scripserat quam Oratorem, illam consuetudinem nullo modo repudiavisset:

Pulverulentus uti de terra lapsu' repente 25;

[1]) De eorum usu exposuit Schneider, I, pg. 346 sq. — Cf. Ritschl., Prol. Trin., pg. CVI. — Mus. Rhen. tom. XIV, Epigraphische Briefe, pg. 398 sq. — Lachmann. ad. Lucret. I, 186. — Luc. Müller., De re metrica, pg. 345.

lustratu' nitore 92;
magnu' leo 263;
torvu' draco de nat. deor. 2, 42.

Itaque praeter haec et Catulli singulare exemplum CXVI, 8: at fixus nostris tudabi' supplicium apud ceteros aureae aetatis poetas primo obtutu nulla eiusmodi licentiae exempla exstare videntur.

Attamen unde ducenda sit, si quaerimus, apud Propertium forma

mage 1, 11, 9; 4, 14, 2; 5, 8, 16, cuius profecto apud universos aureae aetatis scriptores non ita multa occurrunt specimina, haec mihi opinio proxime ad veritatem accedere videtur (cf. Kühner., I, pg. 116; Corssen², II, 247 sq.) easdem eam mutationes passam esse, quas formam frequentiorem: pote 2, 1, 46; 4, 7, 10 ita, ut genuinae et primitivae vocis: magis primo littera s rustico dicendi more neglecta deinde vocalis i simili licentia in e transiret.

Quae quidem fluctuatio inter i et e vocales vocabula terminantes, quam late iam aureae linguae aetate patuerit, et ex inscriptionum adparet haud paucis documentis [1]), et ex ipsorum Propertianorum codicum vestigiis colligi licet. Legitur enim

here 3, 22, 1 omn. codd., contra
heri 3, 14, 20; 4, 23, 12 omn. codd. eri Fm. 1.

Huc referamus locum Quintil. I, 7, 22: „here nunc e littera terminamus: at veterum comicorum adhuc libris invenio: heri ad me venit,“ quo satis elucet, Quintiliani iam temporibus i vocalem in hoc vocabulo pronuntiando vulgari sermone adeo in e debilitatam esse, ut forma: here una legitima haberetur.

Quare si consideramus, Propertianorum codicum con-

[1]) TIBE: C. J. L. I, 33 (exeunt. VI saec. urb.); NISE: C. J. L. I, 205, 1, 47 (Lex Rubr. a. 705 urb.) — Ad formam: quase cf. Lachmann. ad Lucr. II, 291. — Ribbeck., Fleckeisen. annal. tom LXXV, pg. 307. — Schuchardt, II, pgg. 1—91. — Livium patavinitate usum scripsisse: sibe et quase testatur Qintil. I, 7, 24. Cf. Reisig., l. l., § 48 pg. 61.

sent. duobus locis: heri, singulari exemplo: here exhiberi, certe non ineptum videtur coniectare ipsum Propertium vel archetypi librarium, ut in hoc vocabulo scribendo primitivam per-i orthographiam probasset, ita singulari 3, 22, 1 loco quasi invitum [1]) vulgari suae aetatis sermoni indulsisse; nisi forte quis magis ad veritatem accedere opinionem proponit, scripturam: here 3, 22, 1 ex heri ab Italis librariis ad ipsorum aetatis dicendi consuetudinem demum commutatam esse, non est, cur obloquar.

Formam vero: mage metri solius necessitudine, cum positionem, quae dicitur, devitare curaverit, e rustico sermone a Propertio petitam esse, non solum ex ipsis locis:
Atque utinam mage te remis confisa minutis etc. 1, 11, 9;
Sed mage virginei tot bona gymnasii 4, 14, 2;
Causa fuit Juno, sed mage causa Venus 5, 8, 16;
sed etiam inde satis adparet, quod reliquis omnibus locis, quibus insequens dictio a vocali incipit, formam: magis a poeta probatam videmus: 1, 4, 4; 1, 4, 15; 1, 4, 16; 1, 9, 19; 20; 2, 3, 10 alib.

Praeterea ab huius commentationis orthographicae consilio non alienum videtur de confusione inter dentales d et t vocabula terminantes, qualis in codicibus poetae exstet, iam diligentius inquirere, ut locis collectis et ad numeros perpensis inde pro ratione instituti operis certa tandem in tanta novissimorum editorum inaequalitate Propertianae orthographiae norma ac regula constituatur.

Ac primum notum est antiquissimis iam temporibus consonantes dentales, cum in vocabulorum exitu unum fere eundemque sonum efficiant, prava vulgaris sermonis ratione ut in pronuntiando ita in scribendo incepisse inter se confundi. Cf. Corssen.[2], I, pg. 193 sq. — Schuchardt., I,

[1]) Cf. Schuchardt. I, pg. 17: Die Zahl der eigentlichen Schreibfehler ist eine sehr beschränkte; die meisten sog. lapsus calami sind lapsus linguae. Ad idem spectat Quintil. I, 5, 6: Quia quod male scribitur, male etiam dici necesse est. —

pg. 118 sq. — Mus. rhen. tom. XXIII, pg. 197. Brambach., pgg. 251—255.

Quare facile est ad intellegendum hanc fluctuationem posterioribus vulgaris latinitatis temporibus multo amplificatam vel adversus strictas grammaticorum scribendi leges in libros mss. et eo frequentius quidem se insinuasse, quo qui codex remotior erat ab antiquitate.

Vergilianorum quidem optimorum et vetustissimorum codicum illius confusionis frequentissima exempla cognosci licet e diligentissima collatione in Ribbeckii prolegg. Verg. ind. grammat. pgg. 395—399[1]).

Propertianorum etiam librorum mss. usus ut tandem in universum adpareat, locos iam maxime memorabiles in medium proferamus:

haut 3, 22, 22 N haud DVFm. 2 haut L. M., Baehr.
„ 3, 24, 4 bis Luc. Müll. ex aut Baehr.
„ 4, 5, 13 N haud FDV haut L. M., Baehr.
„ 4, 5, 46 N aut FDV „ „ „
„ 4, 7, 35 N haut FDV „ „ „
aut 3, 18, 20 FDV haud NF m. 2 haud L. M. haut Baehr.
„ 4, 15, 7 N haut Vm. 2 haud FD haud L. M, Baehr.
„ 5, 1, 75 N haut L. M., Baehr.

haud scripturam probant Charisius 112, 8; Mar. Victor. VI, 15. — Ceterum cf. Wagner., orth. Verg. pg. 425 sq. Ritschl., opuscl. II, pg. 591. — Fleckeisen., 50 Artikel etc., pg. 18 sq.

De utraque scriptura sed, set certa deficiunt in editionibus singulis locis codicum collationis indicia. Cf. Baehr. prolegg. pg. XI: s; = set saepe AFN.

set 5, 4, 63 summa cum absurditate a L. Müllero in contextum recept., quamvis reliquis omnibus locis scripserit:

sed I, 4, 11; 5, 29; 6, 5; 8, 17, 11, 18; 16, 35; II, 7, 5; 8b, 18; 25; 9, 1; III, 10, 1; 26; 12, 20; 21, 3; 24, 15; 25, 15; 26, 17; 45; IV, 1, 17; 4, 5 (s; = set NF!); 18, 21; V, 5, 43; 65; 6, 33; 7, 71; 84; 8, 43; 10, 3.

1) Cf. Ritschl., Prol. Trin. pg. XCVIII sq. — Lachmann. ad. Lucret. I, 780; III, 317; V, 257. — De Catull. codicum fluctuatione inter dentales d, t videnda quae exposuit Reeckius, l. l. p. 40.

Baehrensius ubique scripsit: sed, quae scriptura commendatur Monumento Ancyrano (C. J. L. pgg. 769—799), grammaticorum testimoniis Cornut. ap. Cassiod. VII, 148, 19; Charis. 112, 5; Terent. Scaur. VII, 11, 12; Vel. Long. VII, 69. Mar. Victorin. VI, 10.

aput 3, 28, 49 Vm. 1: apud m. 2 et ceteri. aput a Baehr. in textum recept.!

Litteram genuinam d fuisse, non t ex antiquissimis monumentis adparet. Apud, sic scriptum, exstat in antiquissimo monumento Scipionum (P. L. M. E. XXXVII = C. J. L. I, 29), in monumento Ancyrano, in Fastis Praenestinis intra a. urb. 752 et 763 (C. J. L. I, pg. 311—319) exaratis.

Cf. Corssen², I, pg. 192: Seit den ältesten Zeiten bis zu Cäsars Dictatur findet sich ausschliesslich die Schreibweise apud: C. J. L. I, 30. 196, 2. 197, 18. 20. 21. 24. 198, 23. 35. 198, 38. 65. 66. 80. 205. II, 14. 42. 48. 1006.

Erst seit der lex Julia, also seit dem Jahre 45 v. Chr. erscheinen neben einander.

apud, a. O. 206, 13. 818. aput, a. O. 206, 15. 34. 120. 818.

ad (coniunct.) 4, 21, 6 DVF at NFm. 2 Luc. M., Baehr. ad scripsisse L. Caloum in oratione ca. a. 700 habita testatur Charis. I, 229, 9. — Antiquissimis iam temporibus nullam differentiam statutam esse a plerisque ex grammaticorum testimoniis et praeceptis adparet Quintil. 1, 7, 5: Vel. Long. VII, 62, 69; Mar. Victorin. VI, 10; Terent. Scaur. VII, 11, 12; Diomed. 415, 30: at haec particula, cum coniunctio est, per t scribitur, cum praepositio est, per d; Caper de orthogr. VII, 95: ad praepositio per d at coniunctio per t scribi debet.

capud 1, 3, 8 A; 2, 1, 36 A caput ceteri.

inquid, 5, 9, 68 N ab L. M. receptum; scripturam per t ceteri, quam commendat Caper de orth. VII, 96: per d scribitur, quid dicis, quid agis, quid legis, quid scribis, quid facis; per t autem verbum ubi erit scribitur, ut inquio, inquis, inquit, eo, is, it.

In horum igitur vocabulorum tam dubia orthographia, qua propter linguae per saecula commutationem nil ad archetypum, nedum ad ipsius poetae manum restituendam evinci potest, praesertim cum adeo recentis et Italae originis sint nostrae membranae, si carmina Propertiana ad eam perfectionem revocare volumus, quam Lachmannus commendavit, probatis Ritschelii [1]) in Plauti comoediis recensendis rationibus certa in singulis saltem vocabulis scribendi norma adoptanda est ea quidem, quae longe plurimis exemplis codicum consensu probatur, ne, quidquid nescio qui Italus medii aevi librarius vel contra voluntatem in scribendo forte peccavit, tamquam sacrum et integrum ipsius antiquitatis monumentum editionibus nostris absurda quadam reverentia conservemus.

Velut nullo modo probari licet Luc. Mülleri et Baehrensii inconstantiam in utraque scriptura haut haud saepenumero sine ulla codicum auctoritate promiscue in editionibus usurpata. Intellegere quidem non possumus, cur L. Müllerus, cum ceteris locis ubique haut scripturam N auct. probaverit, tamen 3, 18, 20; 4, 15, 7 adversus N (aut) scripturam: haud in verborum ordinem receperit. Idem peccavit Baehrensius, qui etsi ut reliquis locis ita 4, 7, 35 contra suos libros ad orthographiam codicis N (haut) se applicavit, tamen rursus 4, 15, 7 usus est scriptura: haud [2]).

Itaque cum vel maxime in scriptura: haut codices inter se consentire loci indicent supra allati, Italae originis codicum fides nullo modo fore ut contemnatur existimamus, si in Propertiano orthographico genere quam probabilissimo constituendo, ne memoria illius scribendi consuetudinis prorsus aboleatur, huic vocabulo ubique neglectis paucis contrariis membranarum exemplis reddemus scripturam pert-t.

[1]) Cf. Prol. Trin. pg. XCVIII: Non eam inconstantiam non sumus in singulis vocibus, sed in genere universo imitati. Etenim set, aput, haut ac praeterea illut et aliut voces, ne memoria eius rei omnis aboleretur, t littera terminavimus.

[2]) Qua in re tam ambigua probanda est Keilii constantia, qui ubique recepit scripturam: haud.

Contra forma aput 3, 28, 49 (Vm. 1, apud m. 2 ceteri) Baehrensio probata ut librarii soli arbitrio vel lapsui calami, quem dicunt, tribuenda e carminibus Propertianis reicienda videtur, praesertim cum singularis codicis V fide, ceterorum vero consensu usitatior scriptura: apud tradatur. — Nec minus contemnenda est scriptura inquid 5, 9, 68 in editione Mülleriana solius N cod. fide adoptata, quamvis non ignorem scripturam FECID inscriptionis antiquae testimonio (C. J. L., I, 54) confirmari[1]). Temerarius certe sit, qui ipso in archetypo talem scripturam fuisse hoc solo singularis codicis loco nisus proponere velit.

Restat ut pauca moneamus de littera l simplici aut geminata in vocabulis suffixo ela aut ella exeuntibus, quorum inter utramque scripturam quam vehementer fluctuent vel inscriptiones et vetustissimi libri mss. luculentius adparet exemplis a Corsseno[2] I, pg. 226 sq. collatis. Quare multo minus mirabimur videntes, quantopere imprimis recentiores[2]) librarii hanc scribendi confusionem

[1]) Contra reperiuntur cons. Prop. codicum: fecit 1, 17, 14; reliquit 2, 9, 23. — Cf. Schuchardt., I, pg. 119: Oft finden sich liquid (reliquid, deliquid, diliquid, dereliquid) und inquid, selten andere Perfectformen, in den Handschriften so geschrieben. Cui tamen orthographiae in textibus recensendis non indulgendum esse iure proponunt Maius Cl. auct. VI, 579. — Ritschl., Mus. rhen. tom. XIV „Epigraphische Briefe," pg. 400. adnot.: Die Schreibung mit schliessendem D = T sind deliciae, mit denen die modernen Herausgeber die klassischen Texte zu archaisiren meinen, der guten Zeit ganz fremd, also nur Barbarei der Handschriften. Als durchaus vereinzelte Ausnahme, an die sich keine Folge knüpft, steht das FECID der Ficoronischen Cista da. — Brambach., pg. 251: Dass die Handschriften in diesem Punkte keinen Massstab abgeben können für die Constituirung eines Textes, sollte man billig anerkennen; denn eine Form, wie reliquid u. drgl., war für einen Römer, der in der Jugend schreiben gelernt hatte, vollkommen kindisch.

[2]) Cf. Ribbeck., prolegg. Verg. ind. gramm. pg. 429. — Vetustiorum et optimorum Vergil. codicum constantiam explanavit Wagner., orthogr. Vergil. pg. 467: Querella, geminata l, quam esse consuetu-

auxerint ipsorum magis arbitrio et licentiae obedientes, quam grammaticorum certis et in hac orthographiae parte fere consentientibus legibus. Cf. Caper de orthogr. VII, 96, 6: querela loquela per unum l., Terent. Scaur. VII, 11; Mar. Vict. VI, 17, 11; Papir. ap. Cassiod. VII, 159, 4.

Sed Lachmannum quidem ad Lucr. III, 1014 notum est contra illorum antiquissimorum orthographorum testimonia, qui subtiliore quadam verae rationis cognitione et doctrina carere ei viderentur, hanc proposuisse legem, ut ea vocabula, in quibus suffixi littera e longam vocalem sequeretur, simplici l scriberentur, duplici, si brevis syllaba praecederet, ut quĕrella lŏquella, corrūptela tūtela vera atque recta scribendi ratio sit [1]).

Baehrensius quoque cum saepenumero contra codicum AFDVN scripturam, in quibus frequentissimae formae: querela, tutella exhibentur, normam illam Lachmanni [2]) in vocabulo: querella sic constantissime scripto: I, 6, 11 querelis 0; 16,13 querelis 0; 16,39 querela 0; 17,9 -elas 0; 18,29 querellae DVm. 1 querele ceteri; III, 13,20 querela FDV; 18,1 querela e FDV; 20,5 querela FDV; IV, 7, 55 querelis FDV; 10, 9 querelis 0; V, 8, 79 querel(a)e o querelle N; 11,57 querelis 0 secutus esse videatur, caussam sane intellegere non possumus, cur rursus scripturam

tutella 4, 14, 23 V cet. tutela

„ 5, 8, 3 tutela NF in V alt. l suppunct.

probabiliori: tutela, quam recepit 4, 13, 41; 5, 4, 69 inconstantia quadam praetulerit, praesertim cum tres codices sine ulla discrepantia scribendi rationem manifesto indicent.

dinem Vergilii Servius testatur ad Aen. IV 360, ubique Mediceus, sicut etiam loquella consentiente Romano Aen. V 842. Quod ne vitium esse eius saeculi, quo exaratus est hic codex, existimes, vetat tutela in eodem per simplicem litteram scriptum.

[1]) Adversus Lachmanni legem conferenda quae monet Brambachius, l. l. pg 258 sq., qui grammaticorum vel maxime testimoniis nisus discipulorum usui commendat scripturam et querela et tutela.

[2]) Eandem probavit Keilius in editione, qua ubique scriptura: querella c. cas. et tutela exhibetur etiam contra codd. GN.

Mihi quidem, ut meam iam sententiam proferam, si id agimus, ut ad codicum fidem quam accuratissime Propertiana carmina recenseantur, propter libros mss. longe plurimis locis consentientes scriptura non solum: tutela, sed etiam querela simplici l probanda videtur, quam in utroque vocabulo exhibendo grammaticorum praeceptis supra in lucem prolatis commendari docemur. Nec vero in tam ambigua re, in tam recentis originis libris mss. ei indulgendum est inaequalitati, quae in Baehrensiana editione cognoscitur, quamque ne Lachmannus quidem effugit, cum Propertii elegiis a. 1829 denuo editis utramque scripturam et querella: I, 6, 11; 16, 3; III, 13, 20; 18 et querela I, 16, 13; 17, 19; 18, 29; IV, 7, 55; 10, 9; V, 11, 57: et tutella: IV, 14, 23 et tutela IV, 13, 41; V, 4, 69; 8, 3 promiscue usurpaverit.

Ergo contra hanc licentiam cum Jacobo, Hertzbergio, Luc. Müllero (singulari loco 5, 8, 79 scripsit nescio qua de caussa: querellae) certam et unam adoptandam existimo scripturam: querela tutela, quamvis ne Propertium quidem ipsum magis quam suae aetatis inscriptionum sculptores [1]) in singulorum eius modi vocabulorum orthographia sibi constitisse crediderim.

Jam ut his quaestionibus orthographicis quae nobis assecuti esse videamur in unum omnia conspectum redigamus, codicibus Baehrensianis AFDV ostendimus plurima exhiberi priscae scribendi rationis et integra documenta et vestigia corruptelis satis indicata. Quae quidem, cum ceteris locis librariorum Italorum in verbis scribendis, id quod illa aetate nullo fere momento aestimabatur, suae consuetudini potius accommodandi studium, quam veterem orthographiam servandi vel restituendi cognosci liceat, ex ipso archetypo relicta esse statuendum est.

[1]) De „Sicilico“ geminandae consonantis signo ◌́ (Mar. Victor. VI, 8, 1) a quadratariis passim neglecto cf. Ritschl., P. L. M. E. pg. 81.

Quare, cum in Catullo recensendo, cuius subsidia critica eiusdem fere aetatis et originis ac Propertii sunt, priscam orthographiam in codicibus servatam vel corruptelis indicatam ab recentioribus omnibus editoribus nullo modo neglectam videamus, si id agimus, quod Lachmannus commendavit, ut etiam Propertiana carmina ad amissi archetypi imaginem in orthographico genere revocemus, apographa AFDV quamvis reliquis in rebus vitiosiora verborum scripturae restituendae summum adiumentum praebere consentaneum est.

Archetypi igitur scribendi ratio ita repraesentata est, ut, ubi peccavit in re orthographica librarius codicis N, cuius studium scripturam ad inferioris aetatis consuetudinem accommodandi ipse Lucianus Muellerus urget, viliorum codicum vel communi omnium vel complurium consensu integra priscae orthographiae documenta saepenumero exhibeantur. Deinde ex erroribus apographorum et N et AFDV passim cognoscitur, quale fuerit ipsius archetypi genus scribendi.

Eis denique in locis, ubi de vetustissimi libri scriptura propter summam codicum nostrorum inaequalitatem vix certi quidquam constituere licet, adversus recentissimorum editorum licentiam atque inconstantiam ex legibus a veteribus grammaticis constitutis, ex inscriptionibus, ex vetustissimis aliorum auctorum libris manu scriptis qualem archetypi Propertianorum carminum scripturam fuisse veri simillimum sit indagare conatus sum. Qua in re si mihi contigerit, ut aliquid conferrem ad haec carmina, quantum fieri potest, restituenda, summus hic mihi fuerit fructus studiorum meorum: monumentum quoddam quamvis pro meis viribus parvulum reverentiae erga Lachmanni Propertianae integritatis indagatoris acutissimi memoriam.



INDEX RERUM

IN HOC OPUSCULO TRACTATARUM.

Berichtigungen.

Pag. 4, Zeile 20 v. o. lies tribuunt, statt tribunut.
„ 79, „ 15 v. u. lies Calvum, statt Caloum.

Paulus Heymann de vita sua.

Paulus Rudolfus Ferdinandus Heymann, Halsbrueckensis Saxonum, natus sum a. d. III. Id. Nov. anno h. s. LVI. patre Rudolfo, matre Theresia e gente Beyeriana, quibus parentibus carissumis gaudeo vivis. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis imbutus anno h. s. LXX. in gymnasium Dresdense, quod est ad aedem Sanctae Crucis, receptus sum, cuius scholas Hultschii rectoris doctissimi auspiciis per VIII annos frequentavi. Vere anni h. s. LXXVIII. maturitatis examine, quod vocant, superato, ut philologiae et antiquitatis studiis me darem, Lipsiam migravi. Ibi lectionibus interfui virorum doctissimorum Brandes, Curtius, Eckstein, Heinze, Hirzel, Lange, Lipsius, de Noorden, Ribbeck, Roscher, Springer, Voigt, Wenck, Wundt, Zarncke.

His viris omnibus optime de me meritis semper debitam gratiam habebo.



Typis O. Leineri, Lipsiensis.

